Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ALPHABETUM PHILOSOPHICUM

Digitized by Google

Digitized by Google

ALPHABETUM PHILOSOPHICUM

Sive

CLARA BREVITAS ET MAGNA CLARITAS

Eorum

Quæ ad facilem Philoſophiæ intelligentiam neceſſariò duntaxat prærequiruntur elaborata.

Non ſolum in via Scoti, D. Thomæ ac neutriſtarum Recentiorum proficientibus, ſed quibuſcunque extraneis veræ ſcientiæ amatoribus accommodata.

Authore

P. WOLTERO SCHOPEN DE Juliaco Ord. Min. S. Franciſci Conventualium, SS. Theologiæ Doctore ac Profeſſore in Conventu Wratislavienſi p. t. Studiorum Regente &c.

NISSÆ, Typis JOANNIS JOSEPHI Krembsl,
Anno M. DC. LXXXXVI.

DEDICATIO

Sereniſſimo & Reverendiſſimo

PRINCIPI

FRANCISCO LUDOVICO

D. G. Adminiſtratori ſupremi Magiſterij in Pruſſia, Ordinis Teutonici per Germaniam & Italiam Magno Magiſtro, Epiſcopo Wormacenſi & Wratiſlavienſi, Præpoſito & Domino Elwangenſi, Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Duci, Comiti in Veldenz & Sponheim, Marchiæ Ravensberg & Moers, Domino in Ravenſtein & Freudenthal ac Eulenberg, Sac. Cæſ. Regiæq; Majeſtatis per Ducatum utriuſque Sileſiæ Supremo Capitaneo &c. &c.

PRINCIPI ac Domino Clementiſſimo.

SEreniſſime Princeps, Miraberis quo auſu accedam oblaturus infimum hoc eruditionis acquirendæ documentum, Miraberis perſonam neſcius, exiguitatem operis attonitus, methodum

Digitized by Google

rendi ſpectando dubius: Miſerunt me in ciſternam veterem & quaſi nullo pretio vendiderunt me Fratres mei. *Credebam enim me videre manipulum meum plus cæteris neſcio deprimi an conſurgere. Sed ecce ubi ſol, ibi dies; JULLÆ Principem ex omni tribu ſequuntur ſui & bellonæ & palladis alumni; adſum & ego Sereniſſime Dux de ſtirpe Juda fidelis ſubditus, Principem comitari per Urbes & orbes generoſo ebulliente ſangvine affectat animus, adſcribe me gregi tuorum quos paſcis in Ægypto, veni enim ex terra chanaan: quod ſi opus meum deſideres? Servus tuus ab infantia uſque in præſens paſtor fuit, & ego & Patres mei: dies peregrinationis vitæ meæ ſunt pauci & mali, in toto enim Orbe panis deerat, nec me ſaturandum duxi, donec in ſinu Neoburgicæ dominatricis domus foverer. emat Serenitas veſtra me in ſervitutem regiam ac ſemina præbeat, ne pereuntibus cultoribus redigatur ultro terra bonæ voluntatis in ſolitudinem; Non ſolum quintam partem reddere ſum paratus, ſed totum quod affert & offert, duntaxat*

gra-

gratiam inveni in conſpectu tuo: neque poſſeſſio iniqua reputanda eſt, ſiquidem eſto Juliacum *progeniem deduceret & remitteret ad patres meos in Hiſpaniam, adhuc Neoburgicæ ducalis proſapiæ præco gloriarer eſſe; pharao mille poſſedit plagas, veſtra Sereniſſime Princeps domus decem millibus non comprehenditur oris; iſtum venerabantur armenta ac pecora cum paſtoribus. Hanc ſuſtentant diademata, Sceptra, Coronæ cum Majeſtatibus. Viro Pharaônis domui præpoſito ſumebantur & deferebantur munera de optimis terræ frugibus, Modicum reſinæ & mellis, ſtoracis, ſtactes, terebinthi ac amygdalarum, Serenitati tuæ de proprio accerſunt paranymphi Fructus honoris & gratiæ, Fructus indolis ac induſtriæ, Fructus virtutis & famæ, Fructus perfectionis & gloriæ. Domus Pharaonis ſepteno gloriabatur ſubſidio per annonam, Neoburgica à ſæculis dominatur Enſe, triumphat in oſtro atq; imperat magnalibus; iſti decor ex individuo, huic ſpeciei referendæ non ſufficiunt calami, hinc ſuperſedeo recenſendis immortali Nomini*

con-

conſignatis ex hac domo oriundis Heroibus non immoror citandis belliducibus, nolo ſcrutari cineres Magnanimorum Cæſarum, Invictiſſimorum Regum, præpotentum Electorum, ſed unicum tam auguſtæ tam venuſtæ arboris ramum veneror (Cede Cede pharao, Orbis hâc domo, lis eſt, an domus hoc orbe perennat) venerans Sereniſſimam dignitatem ac digniſſimam Serenitatem veſtram, non ſic alphabetum, quam ſingulis alphabeti litteris componibile obſequium præſento in monumentum Fidei ac ſervitutis duplicatæ, utpote

Serenitatis Veſtræ

Humillimus Vaſallus

Fr. Wolterus Schopen
de Juliaco.

FACULTAS
Reverendiſſimi P. Generalis.

FR. Felix Rotondi à monte Leone, Artium & Sac. Theologiæ Doctor, in univerſitate patavina Theologus Publicus, ac totius Seraphici Ordinis Min. Conv. poſt S. Patriarcham Franciſcum Miniſter Generalis Septuageſimus Septimus.

Quantum in nobis eſt, utilitati fidelium conſulentes, cum opus, quod dicitur *Alphabetum Philoſophicum*, à P. Mag. Woltero Schopen noſtri Studij Wratislavienſis Regente elaboratum & á PP. Mag. Pancratio Scholtz Miniſtro Provinciali & Commiſſario noſtro Provinciæ Bohemiæ, & Mariano Vnzowski Expro-

vinciali Definitore perpetuo, reviſum, ex ipſorum atteſtatione, ut liquet, nil Catholicæ Fidei & bonis moribus contrarium contineat, immo plurimùm ſtudioſis profuturum ſperemus, luce dignum judicamus, ac proinde licentiam eidem concedimus ut ſervatis ſervandis Typis mandare poſſit. In Fidem datum Romæ die 25. Aprilis 1696.

Fr. Felix Rotondi Miniſter
Generalis mpp.

(L.S.)

Fr. Hieronymus Paghi de Cortona
Secretarius & Aſſiſtens Ordinis.

Si videbitur Reverendiſſimo D. Vicario Generali

Imprimatur

Joannes Henricus Scvvertz
L. B. de Reiſt, Vicarius
Generalis,

Totius PHILOSOPHIÆ
Diſtributio

PHILOSOPHIA

Rerum Humanarum divinarumque
ſciendarum voluptas dividitur
in
Rationalem Naturalem & Moralem.
Rationalis
in
Grammaticam, Poëticam, Rhetoricam, Dialecticam:
Poëtica
in
Scandentem Caballicam, Rithmicam
& Notariacam
Dialectica
in
Docentem ac utentem.
Moralis
in
Ethicam, politicam, & juridicam:
Ethica
in
Humanam & ſacram:

Jus

Jus
in
Civile, Canonicum, & Polemicum:
Politica
in
Monarchicam, Ariſtocraticam, democraticam, œconomicam & polemicam.
Naturalis
in
Phyſicam, mathematicam, & metaphyſicam.
Phyſica
in
Acroamathicã, iathricam, & magicã;
Acroamatica
in
Scholaſticam, Hiſtoricam, & chimicã:
Hiſtorica
in
Chronologicam & genealogicam;
Iathrica
in
Anatomicam, Empyricam, Symptomaticam, chirurgicam:
Magica
in

in
Piromanticam & chiromanticam:
Metaphyſica
in
Angelicam, Divinam, ac illimitatam:
Divina
in
Exponentem, controverſiſticam, aſceticam, ſpeculativam, poſitivam & concionatoriam.
Mathematica
in
Arithmeticam, Coſmographicam, Muſicam, geographicam, aſtronomicam, aſtrologicam, algebram, Horologio graphicam, balticam, phyſionomicam, & Bareocolymbiam:
Arithmetica
in
Opticam & Logiſticam;
Optica
in
Staticam & Magneticam;
Logiſtica
in
Tabularem & popularem

Cos-

Cosmographica
in
Climaticam , Syſtematicam, Sphæricam & Nauticam.
Muſica
in
Planam & Figuralem ,
Figuralis
in
Vocalem, mixtam & inſtrumentalem.

PRÆ-

PRÆFATIO
Ad Neophiloſophos.

VEnite Filij, audite me timorem Domini docebo vos Pſalm. 33. v. 11. Nam initium Sapientiæ timor Domini, Pſalm. 110. v. 9. quoniam in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Sap. c. 1. Nunc ergo Filij mei audite me de Parab. Salom. c. 5. Nos omnes ſumus mortales homines ſimiles alijs, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris ſumus figurati caro decem menſium tempore coagulati in ſangvine ex ſemine hominis & delectamento ſomni conveniente Sap. c. 7. propter hoc optetis, & dabitur vobis ſenſus, invocate & veniet in vos Spiritus Sapientiæ ibid. nunquid non Sapientia clamitat & prudentia dat vocem ſuam, intelligite Parvuli aſtutiam, quoniam de rebus magnis locuturi ſumus de Parab. c. 8. O vos beatos ſi inveneritis ſapientiam, nam melior eſt acquiſitio ejus negotiatione argenti & auri primi, & puriſſimi fructus ejus pretioſiorque cunctis opibus & omnia quæ deſiderantur huic non valent comparari ibid. c. 3. imò omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius Sap. c. 7. ipſa melior eſt quàm vires c. 6. & vani ſunt omnes in quibus non eſt ſcientia c. 9. facile autem videtur ab his qui diligunt eam & invenitur ab his qui quærunt illam c. 6. præſertim

tim

tim qui mane vigilant ad eam, invenient eam de Parab. c. 8. per ipſam Reges regnant, legum Conditores juſta decernunt, Principes imperant & potentes decernunt juſtitiam ibid. Sed Sapientiam qui abjicit infelix eſt, & vacua eſt ſpes illorum, & labores ſinè fructu, & inutilia opera eorum Sap. c. 3. igitur Filioli mei attendite ad Sapientiam & prudentiæ inclinate aures veſtras de Parab. c. 5. & venient vobis omnia bona pariter cum illa & innumerabilis honeſtas per manus illius, & læti eritis in omnibus, quoniam vos antecedet Sapientia Sap. c. 7. hora ſurgendi non vos tricate Eccl. c 32. Sed quilibet præcurrat prior ibid. Studete Sapientiæ ut poſſitis exprobranti reſpondere ſermonem prov. c. 27. apponite cor ad doctrinam meam, quæ pulchra erit, ecce deſcribam eam vobis tripliciter ut oſtendam firmitatem & eloquia veritatis ibid. c. 22. Audite Filij mei & ſuſcipite verba mea, viam ſapientiæ monſtrabo vobis, quam cum ingreſſi fueritis currentes non habebitis offendiculum ibid. c. 4. fundamenta ejus in montibus Sanctis Pſalm. 86 & à ſummo cœlo egreſſio ejus Pſal. 18. proinde beatus homo quem erudierit Dominus Pſalm. 93. non ſaturabitur oculus viſu, nec auris auditu Eccl. c. 1. quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus Prov. c. 33. Florete Flores quaſi lilium & date odorem Eccl. c. 39. lignum vitæ erit vobis ſi apprehenderitis ſapientiam & tenueritis eam Prov c. 3. FIAT FIAT Pſalm. 71. v. ultimo.

AR-

Argumentum.

PLacuit dialecticam vocare alphabetum Philoſophicum cum ipſa ſit fundamentum omnis ſcientiæ, quemadmodum litteræ cujuſcunque Humaniſtarum doctrinæ: porrò ſicut eſt impoſſibile ignarum alphabeti quocunq; in ſtudio proficere, ità & veritatem cum firmitate eloqui ſinè regulis hujusmodi repugnat; Ecce igitur amatores veræ ſcientiæ, intendo elaboratam veritatis agnoſcendæ viam clarè ac breviter proponere, idipſum, quod alij fuſiùs verbo, parcius nervo dilatant, totidē articulis quot alphabetum conſtat litteris ſinè torto abundè elucubrare, præſertim cum dia-

lecticæ proba in diſtinctam ex-
creverit facultatem quæ vocatur
Logica, ubi ſcholaſtico more re-
ponemusCætera.ab alijs conſve-
vit appellari parua Logica,intro-
ductio,manuductio adLogicam,
Enchridion dialecticum & ſimi-
libus idem ferè ſignificantibus:
Hæc de nomine Dialecticæ orto
á græca dictione *dialogome* id eſt
diſputare. in re monſtrat viam
veritatis artificioſo diſputandi
modo, imò eſt ipſa via veritatis
vel omninò veritas; ſed quid eſt
veritas? á manufactis facilè diſci-
te; ſi quis vult ædificare domum
non illicò totam ponit humi, ſed
& locus & tempus, forma, modus,
reliqua prærequiruntur, donec à
fundamento ad combinationes
& ab his ad perfectionem paula-
tim

tim deveniatur, ita *dialecticæ* loco id eſt pro habenda *infallibili bene diſcurrendi methodo* velut a materialibus incipiendo de terminis, ac proindè combinando de propoſitionibꝰ & his confinibus atque ità tandem de diſcurſu curſum conſummabimus: Si enim voluerimus candidè loqvi, ſtudere dialecticæ non eſt aliud quàm addiſcere modum ritè diſcurrendi, id eſt juxta regulas certas ac infallibiles unum ex alio inferendi, atque ita procedendi, nè intellectus in ſuis operationibus fallatur, ſiquidem homo hujus facultatis expers facilè omni vento doctrinæ circumfertur, etiam hallucinari poteſt in ijs quæ re vera ſunt; at Dialectica ſingulas mentis operationes dirigit, ſim-

plicem apprehenſionem termi-norum, ex his formare judicia & ex ijſdem inferre verum & falſum docet. Cæterùm ne ab initio ordinem invertamus de tribus mentis operationibus, ſcilicèt ſimplici *apprehenſione*, *judicio ac diſcurſu*, aliud non prærequiritur quàm definitiva notitia, eſt igitur *ſimplex apprehenſio* nuda terminorum cogitatio, *judicium* unius de alio enunciatio, diſcurſus per quem ex uno infertur aliud, ſicuti ſingulatim enucleabimus, donec juxta triplicem mentis operationem viam reperiendæ ſcientiæ ac ſapientiæ aperuerimus: incipe, perge, lege.

A. *Quid*

A.

Quid ſit terminus dialecticus

DIco terminus Dialecticus. eſt nomen extremum propoſitionis. ità ex profeſſo contra eos qui hactenus vel nimis obſcurè vel per additionē vel diminutionem explicârunt terminum. lege Ariſtotelem 1.perih. Mendozam & alios Authores.

Declaratur: notanter dicitur terminus dialecticus,nam terminus in genere eſt vel initium vel finis. v. g. terminus ſcholæ eſt primus & ultimus Angulus: dicitur ſecundò quòd ſit nomen, quia nullum verbum poteſt eſſe terminus, nec littera, nec ſyllaba, nec adverbium, nec conjunctio &c. dicitur tandem extremum in propoſitione id eſt primum ac ultimum nomen, ſi verò ſint extra propoſitionem, vocantur termini potentiales,quòd ſi alia præcedant vel ſequantur quæ non ſunt nomina v. g. hodie Pontifex eſt exiſtens Romæ, ea ſolum terminant quæ in recto id eſt nominativo connectuntur, ex hac declaratione

Pro-

Probatur Concluſio, eò quod hæc definitio habeat, quidquid regulæ definitionis infra præſcribent. Cæterùm aliorum definitiones rejicere fuſiùs eſſet quàm utilius, ſatis eſt quôd iſta ſit omni clarior, imò & eâ quam Ariſt. habet 1. priorum c. 1. *terminus eſt extremum propoſitionis in quod immediatè propoſitio reſolvitur tanquam in ſubjectum & prædicatum.*

Objicies I. copula verbalis *eſt* poteſt eſſe terminus v. g. ſi quis diceret, *petrus eſt*, faceret propoſitionem dialecticam, ſed hìc extremum locum habet copula, ergo non ſemper nomen. Reſpondeo in hac propoſitione ſub intelligi unum terminum, ſcilicet exiſtens, nam in omni propoſitione tria requiruntur, duo termini & copula.

Inſtabis copula verbalis eſt extremum propoſitionis licèt nihil implicitè ſubintelligatur, ergo ſolutio ruit; probatur antecedens, ſic dicendo *copula eſt nomen*, ubi vides copulam eſſe primum terminum. Reſpondeo diſt. antec. Copula verbalis materialiter accepta C. ant. Formaliter ſumpta N. antec. & conſeq. iſta ſolutio ex dicendis patebit & ſæpè, applicari poteſt. v. g. ſi quis inſtaret, *verbum* eſt terminus, buff eſt terminus, ſubintelligitur, hæc vox vel hoc nomen.

Inſtabis neque terminus formaliter acceptus

ceptus ſemper eſt nomen ergò &c. prob. ant. terminus Syncategorematicus eſt formaliter terminus, ſed hic non eſt nomen, ergo &c. probatur minor, talis eſt v. g. nullus, & pronomen hic, ille, ergo &c. Reſp. N. antecedens, & probationis minorem diſtinguo, non eſt nomen grammaticum C. philoſophicum ſubdiſtinguo, nec reductivè nec completè N. completè tranſeat, de his mox dicemus.

Objicies II. terminus dialecticus ſæpè eſt penultimum in propoſitione, ergo non univerſaliter extremum nomen; probatur antec. exemplo, pontifex eſt reſidens Romæ & ſimilia; Reſpondeo diſtingvendo antecedens reſpectu eorum quæ ponuntur in obliquo C. in recto N. antec. & conſeq. dixi enim quòd terminus debeat eſſe nomen in recto.

Inſtabis neque etiam eſt ſemper ultimum nomen in recto, ergo &c. probatur antec. exemplo: noſter Auguſtiſſimus Imperator eſt benignus homo, ubi vides primum terminum eſſe *Imperator*, nec tamen extremo loco ponitur. Reſpondeo N. antec. ac probationis ſuppoſitum, non enim hoc nomen ſimplex Imperator eſt terminus, ſed hoc conflatum noſter Auguſtiſſimus Imperator, quod eſt nomen complexum, ex his plura ſolves.

Quæres primò Q. 1mò quot termini ſint in propoſitione Reſp. in una ſimpl. propoſitione eſſe ſemper duos, quorũ unus vocatur ſubjectum alter prædicatum; ita quidem ut nec plures nec pauciores eſſe queant: hoc tamen obſervandum eſt aliquando eos poni explicitè v. g. homo eſt animal, aliquando unus vel alter vel uterque implicitè v. g. *Deus eſt*, reſolvenda proìndè in latentem terminum *exiſtens*.

Q. 2dò quid ſit ſubjectnm & prædicatum? Reſpóndeo 1mò grammaticaliter ſubjectum dici illud, quod ponitur ante copulam, prædicatum verò quod poſt copulam ponitur in bonâ conſtructione, Reſpondeo 2dò philoſophicè ſubjectum dici id de quo aliquid dicitur, prædicatum quod de aliquo dicitur v. g. in hac propoſitione, homo eſt animal, homo eſt ſubjectum, animal prædicatum: in hac verò: albus eſt homo, ſubjectum eſt homo propter defectum bonæ conſtructionis, niſi ſubindè fiat propoſitio poſitivè inordinata, cum quâ aliqui indirectam confundunt.

Q. 3iò quid ſit copula verbalis? Reſpondeo illud verbum ſubſtantivum *eſt* eſſe unionem & nexum prædicati cum ſubjecto, neque tantùm in tertiâ perſona ſed etiam ſum, es, & reliqua tempora plus vel minus, ſed quia ſæpiùs eſt, ideò *eſt* antonomaſticè copula dicitur.

B. Quo-

B.

Quotuplex ſit terminus Dialecticus.

DIco terminus dialecticus eſt triplex, quorum quilibet eaſdem multiplices ſubdiviſiones admittit Ità comũniter Philoſophi: ſunt autem *Mentalis*, id eſt nomen quod tantùm mente concipitur, *Vocalis*, quod voce profertur, *Scriptus*, qui calamo exaratur juxtà illud prov. 22. dialecticam hoc triplici termino componemus.

I. Terminus (intellige ſemper cum proportione mentalis ſivè vocalis ſivè ſcriptus) ſubdividitur ex triplici capite, *ex parte ſignificationis*, hoc eſt an aliquid ſignificet; & *ex parte modi ſignificandi*, hoc eſt, quomodo ſignificet; & ex parte rei ſignificatæ hoc eſt, quid terminus ſignificet.

II. Terminus ex parte ſignificationis alius eſt *ſignificativus*, qui præter vocem & ſonum aliud repræſentat v. g. homo naturam humanam, alius *non ſignificativus*, qui præter ſonum ſyllabas litteráſque nil ſignificat v. g. blictri.

III. Terminus ſignificativus iterum duplex eſt, naturalis & ad placitum, primus qui ex natura abſque hominum impoſitione aliquid ſignificat v. g. riſus lætitiam, alter qui ex hominum beneplacito hoc vel illud ſignificat v. g. lignum, ſi enim Adam

vel alij inſtitutores primi voluiſſent, per nomen lignum poterat charta ſignificari, ſic de reliquis: de terminis ad placitum potiſſimum agemus.

IV. Terminus ſignificativus ad placitum rurſus duplex eſt, Primus eſt *Categorematicus* qui per ſe & ſolitariè perfectè aliquid ſignificat v. g. homo ſignificat hominem. Alter eſt *Syncategorematicus* qui non per ſe vel ſolitariè ſignificat ſed tantùm tunc quando eſt alteri junctus v. g. omnis, nullus, non enim ſcio an quis putet, omnis homo, vel omnis liber, ſed primò quando jungitur alteri. His additur terminus mixtus vel æquivalens utrique priori v. g. nemo, quod ſignificat nullus homo.

V. Terminus ſignificativus ad placitum categorematicus adhuc ſubdividitur in ſimplicem vel incomplexum, & complexum. Primus eſt qui ſignificat unam rem; ſive unum ſive plura ejuſdem nomina ponantur v. g. Marcus Tullius Cicero. Secundus eſt qui plura ſignificat, ſive plura ſint nomina ſive unum v. g. homo pius, ſignificat humanam naturam & pietatem, canis ſignificat ſtellam & animal.

VI. Terminus ſignificativus ad placitum categorematicus incomplexus tandem ſubdividitur in finitum & infinitum. Primus qui rem certam ſignificat v. g. homo. Alter

Alter qui rem certam negat ſed nullam deſignat v. g. non lapis. Aliqui terminum finitum dividunt in nomen & verbum, ſed hoc dici nequit propter definitionem termini.

VII. Dividitur terminus ſive vocalis ſive Mentalis ſive Scriptus ex parte modi ſignificandi in concretum & abſtractũ. Primus eſt qui ſignificat rem velut in alio exiſtentẽ, ſive ſit accidens in ſubjecto ùt, album quod ſignificat albedinem in aliquo ſubjecto, ſive ſit natura in ſuppoſito. ùt animal quod ſignificat animalitatem in aliquo individuo. Secundus eſt qui ſignificat rem quaſi ab alio ſeparatam v.g. humanitas, animalitas, albedo, color.

VIII. Uterque ex prædictis ſubdividitur in accidentalem & ſubſtantialẽ. Primus ſignificat accidens alter ſubſtantiam proportionaliter priori explicationi.

IX. Ex hoc capite inſuper alius eſt abſolutꝰ qui ſinè ordine ad aliud quid ſignificat. Alius relativus, qui cum ordine aliquid ſignificat. Exemplum primi eſt: Lapis, homo &c. Secundi: Magiſter, Filius &c. poſteriores faciunt relationem ad diſcipulum, Patrem & ſic de alijs. His adde terminum connotativum qui importat præter ſignificatum principale in recto aliud in obliquo v. g. prandium, cœna præter

man-

manducationem tempus conſignant. Tandē terminus alius eſt denominativus, alius denominans: Primus eſt qui denominatur, unde & vocatur terminus denominatus v. g. Logicus, juſtus, pius. Alter qui denominat, v. g Logica, juſtitia &c.

X. Terminus ſive vocalis, ſive alij, conſideratur in ordine ad res ſignificatas, & hâc viâ principaliter eſt duplex: Communis & Singularis. Prior eſt qui in re pluribus convenit v. g. homo, animal. Alter, qui uni tantùm v. g. Petrus.

XI. Terminus communis, primò eſt duplex: tranſcendens & limitatus. Primus qui omnibus rebus convenit, & hi omnes continentur hac voce *REUBAU*, Res, Ens, Unum, Bonum; Aliquid, Verum. Alter qui multis & omnibus determinati generis v. g. Subſtantia, animal, & inter hos gradus admittitur ut patet. Deinde terminus communis adhuc triplex eſt. Univocus qui pluribus ſecundùm nomen & rem convenit v. g. homo ſecundùm nomen & naturā convenit individuis. Æquivocus qui tantùm ſecundùm nomen v. g. canis ſtellæ ac animali. Analogus qui quidem ſecundùm nomen & rem ſed perfectiùs uni quàm alteri v. g. Calidum reſpectu calidi ut ſex, & calidi ut duo.

XII. Subdividur terminus ſingularis in qua-

4. claſſes; Determinatum indeterminatum vel vagú, collectivú, & diſtributivum. Primus eſt qui determinatè rem ſignificat v. g. hic homo. Secundus qui rem ſingularem indeterminatè ſignificat v. g. quidam homo. Tertius eſt qui in ſingulari numero ſignificat plura copulatim, ità ut de quolibet non poſſit ſeorſim dici v. g. gens, exercitus, Quartus è contra qui pluribus convenit ſeorſim v, g. hic & ille homo.

Hos omnes & alios quoſcunque terminos licèt ac oportet dupliciter conſiderare, an quippe ſint termini primæ intentionis vel ſecundæ intentionis. Per terminos primæ intentionis intelliguntur nomina quæ ſignificant res reales id eſt res tales quæ habent eſſe independenter ab intellectu v. g. humana natura, natura lapidis, albedo &c. per terminos ſecundæ intentionis, intelliguntur illi qui ſunt impoſiti ad ſignificandas res ſub aliquo attributo rationis cùm enim res ad Scholas portare non poſſimus, verba feruntur & quia nimia prolixitas tædium parit; eruditè ficta ſunt nomina quæ plura ſimul explicant.

C. *Quot*

C.

Quot, & quid ſint Proprietates t erminorum.

DIco ſex ſunt proprietates terminorum: ſuppoſitio, ſtatus, ampliatio, reſtrictio, diminutio, diſtractio vel alienatio, appellatio. ità ferè communiter.

Quæres primo quid ſit ſuppoſitio? Reſp. eſt acceptio termini pro aliquo juxtà exigentiam copulæ, id eſt in propoſitione terminus ſupponit pro hoc vel illo.

Quæres ſecundò quotuplex ſit ſuppoſitio? Reſpondeo primariâ diviſione eſſe duplicem, materialem nimirum & formalem, quæ diviſio in univerſal Philoſophia celebris eſt & utilis in ſummo gradu, per ſuppoſitionem formalem intelligitur acceptio termini pro ipſo ſignificato importato. Per ſuppoſitionem materialem verò intelligitur acceptio termini in propoſitione pro voce vel litteris vel ſyllabis &c. v. g. Nicolaus eſt vox quadri ſyllaba, ſupponit materialiter. Nicolaus eſt homo, ſupponit formaliter.

Quæres tertiò quotuplex ſit ſuppoſitio formalis Reſpondeo eſt triplex: *Simplex*, *Perſonalis*, & *abſoluta.* *Simplex ſuppoſitio* eſt: quando aliquis terminus communis accipitur pro ſuo eſſe communi, hoc eſt, dum

ſumi-

ſumitur pro eo, propter quod eſt communis, vel quod ipſi convenit tanquam communi. v. g. homo eſt terminus univerſalis, ſpecies &c. hæc enim non conveniunt huic vel illi homini, ſed homini ut ſic.

Suppoſitio Perſonalis eſt quando aliquis terminus cоmunis accipitur pro eo quod ipſi tantùm convenit in particulari v. g. homo currit, hoc enim tantùm de individuo verificari poteſt.

Suppoſitio abſoluta eſt: quando terminus communis ſumitur pro ſuo ſignificato immediato, & mediato ſimul, hoc eſt, pro eo quod ipſi convenit ſive ſumatur univerſaliter ſive ſingulariter v. g. dum dico homo eſt animal rationale, & hic homo eſt animal rationale, utrinque bene dico.

Suppoſitio ex parte Syncategorematis eſt quadruplex, *Diſtributiva*, *collectiva vel copulativa*, *determinata*, *& confuſa*.

Prima Suppoſitio eſt dú aliquis terminus cоmunis uſurpatur pro omnibus ſuis inferioribus ſeorſim ſumptis, ità ut quod de ipſo termino communi prædicatur de quolibet ſingulari ſub ipſo contento etiam poſſit dici v. g. omnis homo eſt animal, tò homo ſupponit perſonaliter diſtributivè, poſſum enim dicere & Petrus eſt animal & Paulus, & Joannes &c.

II. Sci-

2da. Scilicet collectiva eſt: dum aliquis terminus communis uſurpatur pro omnibus ſuis inferioribus ſimul, non verò ſeorſim ſumptis, ità ut quod de ipſo termino cōmuni prædicatur, non de quolibet ſeorſim, ſed de omnibus ſimul prædicetur v. g. duodecim Apoſtoli: non poſſum enim dicere Petrus eſt duodecim, Philippus eſt duodecim, ſed bene ſic: Petrus & Philippus & Paulus & reliqui ſunt duodecim.

3ia.. Eſt cum aliquis terminus accipitur pro aliquo inferiori ſignatè ità ut ſaltem deſignet præciſam actionem v. g. oculus dexter videt, vel ſaltèm aliquis oculus *videt*, quod actionem viſivam denotat.

IV. è contra eſt quando terminus aliquis communis ſumitur pro uno ex inferioribus indeterminatè & ſub disjunctione, ut dum dico: aliqua manus eſt neceſſaria ad ſcribendum, non determinando, an manus dextra vel ſiniſtra.

Ex his prima ſcilicèt: *Suppoſitio diſtributiva*, ſubdividitur in duas claſſes, quarum una ſupponit *pro ſingulis generum.* Altera *pro generibus ſingulorum.* Prima eſt quando omne individuum omnino ſubjicitur illi termino prædicato, cui terminus communis v. g. omne animal moritur, hoc ſeorſim de quocunque verificatur. Altera quando non de ſingulis individuis ſed ſaltém de

uno

uno individuo cujuſcunque ſpeciei ſub tali genere contentæ v. g. omne animal fuit in Arca Noë, id eſt duo equi, duæ gallinæ, duo canes & ſic de cæteris.

Tandem ſuppoſitio pro ſingulis generum alia eſt *abſoluta*, alia *accommoda*, prima eſt quando terminus perſonaliter diſtributivè ſic ſupponit pro omnibus ac ſingulis inferioribus ut nullum prorſus excipiatur v. g. homo eſt animal, altera quando quidem ſupponit pro cunctis ſed uno vel duobus duntaxat excepto, exemplum habes in lib. Eſther non enim pro te ſed pro omnibus hæc lex eſt, item omnes peccaverunt in Adam excepta Virgine Deipara: his addi ſolet diviſio ſuppoſitionis Formalis in *propriam* & *impropriam*, quarum prior eſt, quando terminus ſupponit pro eo ſignificato pro quo primitus eſt inſtitutus v. g. homo pro natura humana, leo leonina, ſecunda eſt quando ſupponit metaphoricè v. g. leo pro homine forti, vicit leo de tribu Juda.

Suppoſitio Formalis propria dividitur in *naturalem* & *accidentalem*, hæc importat ſignificatum intrinſecum v.g. homo eſt riſibilis, illa extrinſecum jv. g. homo eſt albus, quod dignoſcitur, ſi pro omni differentia temporis ſubjecto conveniat; erit intrinſecum. Cæteræ ſubdiviſiones in *mo-*

 bilem

bilem & immobilem reduci poſſunt ad priores.

Regula generalis eſt quòd in diſcurſu non liceat tranſire ab una proprietate terminorum ad aliam, præſertim ab una ſuppoſitione ad alteram nè fiant plures termini debitis ut dicetur v. g. Chriſtus eſt leo, ergò rugit, homo habet quatuor litteras, ſed Nicolaus eſt homo, ergò habet quatuor litteras.

Regula ſpecialis eſt quod ſemper ſupponit diſtributivè terminus quando ei immediatè proponitur ſignum univerſale, cum hac tamen differentia, ſi affirmativum ſignum eſt, tantùm diſtribuit ſubjectum, ſi negativum, & ſubjectum & prædicatum, v. g. omnis homo eſt animal, nullus homo eſt lapis, ratio eſt quod negatio ſit malignantis naturæ quæ negat omnia poſt ſe: quod ſi propoſitio ponatur indefinitè, ſi ſit in materia neceſſaria ſupponit diſtributivè, ſi in materia contingenti determinatè vèl confusè ſigna univerſalia mixta æquivalent negativis.

Quæres quartò quid ſit *Status*? Reſp. quod ſit acceptio termini propter exigentiam copulæ aliquam differentiam principalem temporis importans v. g. homo ſtudet ſupponit pro præſenti; ſi petas quot

ſint

ſint tales differentiæ temporis? Reſpondeo tres, præſens, præteritum, & futurum.

Quæres quintò, quid ſit *ampliatio*: Reſpondeo quod ſit extenſio termini à minori ad majorem ſignificationem v. g. homo eſt animal extenditur ad præteritos & futuros homines; huic opponitur *Reſtrictio*, quæ majorem ad minorem coarctat numerum v. g. omnes ſtudentes ſunt laude digni, intellige diligentes; ac ferè coincidit *diminutio* quæ facit prædicatum convenire ſubjecto propter certam particulam, licèt alias repugnaret iidem v. g. non poſſem dicere æthiops eſt albus - niſi adderem ſecundùm dentes.

Quæres ſextò, quid ſint *diſtractio* & *appellatio* Reſpondeo quod *diſtractio* coincidat cum ſuppoſitione Formali impropria, vide ſuprà: *Appellatio* autem eſt acceptio termini ſub duplici ſignificatione in diverſis propoſitionibus ut ſi dicas, Nicolaus eſt Philoſophus, Nicolaus eſt magnus, ergò eſt magnus Philoſophus.

Mirum eſt quomodo ſummuliſtæ communem viam loquendi devitando errent; *lege mendozam*, *Herman Vietoris*, *Philippum de triev Lalemandot* & alios juniores: quibus ſuperſedeo confutandis.

D.

Quot modis termini opponantur & comparentur?

DIco quatuor eſſe modos principales opponendi terminos, nimirum relativè, contrariè, contradictoriè & privativè: ità ſummuliſtæ communiter.

Oppoſiti *relativè* ſunt, qui per oppoſitas relationes ſeinvicem reſpiciunt, v. g. Pater & filius, paſtor & ovis ad invicem ordinem ferunt: oportet autem ut reſpectus ille ſit reſpectu ejusdem nam filiatio petri in Italia & paternitas Dionyſij in gallia non opponuntur relativè.

Oppoſiti *contrariè* ſunt, qui habent formas ſe invicem mutuo expellentes ab eodem ſubjecto inhæſionis, vel potiùs ſunt ipſæ Formæ ſe mutuò expellentes, nam ignis & aqua non opponuntur contrariè, ſed calor ignis & aquæ frigus.

Porro ad oppoſitionem contrariam videntur iſta requiri 1: ut Formæ illæ ſint ſub eodem genere ſi non proximo ſaltem remoto id eſt ſint ſaltem ſub eodem prædicamento 2. ut ſub eodem genere maximè diſtent, quâ ratione album & rubrum non opponuntur contrariè. 3. ut comparentur per ordinem ad ſubjectum inhæſionis cui viciſſim illæ formæ poſſint ineſſe 4. ut ſe invicem

vicem expellant niſi alterum â natura inſit hinc non eſt opus ut frigus expellat ab igne calorem, quum iſte inſit igni â natura.

Oppoſiti *contradictoriè* ſunt, qui opponuntùr ſecundùm affirmationem & negationem ejuſdẽ de eodem ſecundùm idem v.g. eſſe & non eſſe, ubi particulas additas ejuſdem &c. benè conſidera, nam ſi quid ex his deficiat per particulam diſtrahentem vel Syncategorema interjectum v.g. æthiops eſt niger ſecundùm dentes, vel paries eſt eſſentialiter albus paries eſt eſſentialiter non albus ceſſat contradictio.

Oppoſiti *privativè* ſunt, qui opponuntur per formam poſitivam ejuſque carentiam in ſubjecto apto, hoc eſt tali, in quo talis forma poſſit eſſe v.g. videns eſt cæcus, ſi autem eſt carentia formæ in ſubjecto non apto v.g. lapis cæcus dicitur negatio, lapis enim non eſt capax viſionis (ſaltem operativæ ex Sco. in 1. d.3.q.7.)

Præter hos primarios oppoſitionum modos dantur & alij termini, qui quendam ordinem ad invicem præ ſe ferre geſtiunt: utpote termini *pertinentes* & *impertinentes*, primi ſunt, qui ſe invicem tollunt v.g. Sol & lux diei, impertinentes verò ſunt qui neque ſe ponunt neque ſe invicem tollunt ut pictor & probus.

Item ſunt termini *diſparatè* oppoſiti &

immediatè oppoſiti, primi cenſentur illi, qui ſimul ac ſucceſivè ſunt incompoſſibilis, hoc eſt qui non habent majorem repugnantiam inter ſe, quam cum tertio v. g. liber & lapis inter ſe ſicut cum ligno repugnant; poſteriores inter ſe pugnant ſed non cum tertio, unde nigredo & albedo licet nequeant ſimul eſſe in eadem tamen diverſis partibus ejuſdem ſubjecti.

Tandem inter terminos oppoſitos alij ſunt *poſitivi*, ut albedo & nigredo, alij *negativi* ut non albedo, & hi ultimi ſunt duplicis generis, vel *extra genus* id eſt qui abſolutè omnia negant v. g. non ens non res; vel *intra genus* id eſt qui negant rem ſub hoc vel illo genere contentam v. g. non herba, non brutum &c. pro altera tituli parte, quomodo ſcilicet termini ad invicem comparentur.

Notandum eſt quod in ordine ad ſubjectionem ac prædicationem terminorum debitè cognoſcendam integri tractatus à primis philoſophis ſint inventi, quos vel in utente materiâ Logicâ vel in utente materiâ Metaphyſicâ reponemus, proindè hic nec immorandum eſt explicandis terminis univerſalibus, neq; collocandis prædicamentalibus, præſertim cum iſthæc incipientium capita facilè obtundant, neque pro diſcurſu formali uſq;adeò requirantur.

Quæ-

Quæres tamen primò, quinam termini dicantur comparativi convertibiliter? Reſpondeo illi, quando prædicatum pro omni differentiâ temporis convenit ſubjecto informationis & hoc viciſſim poteſt attribui alteri, ut ſi dicas omnis homo eſt riſibilis, omne riſibile eſt homo.

Quæres ſecundò, quinam termini dicantur comparari ad invicem ut minus & magis communes? Reſpondeo illi, quorum unus univerſaliter pro omni differentia temporis prædicatur de altero & hìc mutuò de illo ſed non univerſaliter v.g. omnis homo eſt animal, aliquod animal eſt homo ex quibus una prædicatio eſt directa altera indirecta, prout in ſequentibus edocebitur.

E.

An & quænam ſint terminorum Diſtinctiones?

DIco plurimos dari in Dialectica terminorum diſtinctiones utiliſſimas, pro omni ſcientia, ità omnes unde eſt axioma, *qui bene diſtingvit bene docet*, porrò nè per decurſum ſit opus ſolia implere continuis diſtinctionum earundem explicationibus, potiores diſtinctiones ſubjicio & explico.

Primò intentionaliter, &, *ſecundo intentionaliter*. Primus ſignificat, quando aliquid

eſt in rerum natura vel ſaltèm poteſt eſſe, & coincidit ferè cum *realiter à parte rei* &c. Alter quando terminus eſt fictus ab intellectu v. g. individuum, genus, ſpecies.

Actu, & *potentia*. Primum ſignificat quod eſt actualiter v. g. DEUS. Alterum quod poteſt eſſe v. g. Antichriſtus &c.

In actu Primo, & *Secundo* Primum ſignificat, quod aliquis poteſt facere v. g. poſſum cantare ſignificat canto in actu primo, ſi autem actu cantarem eſſet in actu ſecundo

Potentiâ Logicâ, *Potentiâ Phyſicâ*. Prima eſt quod potuiſſet fieri ſed non fiet propter impedimentum extrinſecum. Secunda quæ naturaliter fit, ſic v. g. niſi DEUS aliter ſtatuiſſet Secundus mundus potuiſſet produci, adeóque ſtante voluntate oppoſitâ eſt poſſibilis potentiâ logicâ.

Phyſicè & *moraliter*, Primum eſt quod convenit ex natura rerum v. g. phyſicè opifex laborat, moraliter Sacramenta cauſant gratiam, judex moraliter, carnifex phyſicè occidit reum.

Principaliter & inſtrumentaliter. Primum eſt, dum quis propriâ virtute aliquid facit v. g. ego principaliter ſcribo. Secundùm quod alienâ virtute applicatur ſic calamus ſcribit.

Per ſe & per accidens. Primum eſt quod convenit ab intrinſeco & quaſi propriè ex natu-

natura v. g. quòd miles habeat gladium, Secundùm quod caſu impropriè & contingenter fit v. g. quod miles habeat argentum in gladio.

Eſſentialiter, accidentaliter. Primum eſt ſinè quo res nullo modo poteſt eſſe tanquam conſtitutivo formali v. g. homo abſque anima. Alterum quod poteſt abeſſe & adeſſe. v. g. homo eſt albus accidentaliter. Eſſentialiter aliquando accipitur *phyſicè*, aliquando *metaphyſice*, Phyſicè eſt aliquid reale. Metaphyſicè eſt quid formale de quo alibi.

Immediatè & *mediatè*. Primum eſt, cum quis ſinè alio mediante operatur v. g. immediatè locutus ſum Pontifici. Alterum quod per interpoſitionem fit v. g. per aulæ præfectum vel alium loqui Cæſari; item propoſitio fit immediatè ex terminis mediate ex ſyllabis terminorum.

Materialiter & *formaliter*. Primum eſt quod convenit rei ratione ſubjecti v. g. Muſicus eſt Logicus, non enim eſt Logicus quia Muſicus, ſed quia homo qui muſicus eſt. Secundùm quando ratione formæ, v. g. Doctor docet, non docet aliquis quâ homo præciſè ſed quâ Doctor. Vel materialiter & formaliter accipitur prout in ſuppoſitione.

Virtualiter & *formaliter*. Primum cùm

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quis non habet formam ſed virtutem producendi eam v. g. Sol non habet calorem ſed tamen virtutem producendi calorem. Secundùm cùm quis ipſam formam habet, ità ignis reſpectu caloris.

Ementialiter & *formaliter*. Primum eſt cùm quis habet entitatem nobiliorem. Sic libra auri eſt eminentialiter libra argenti. Secundum quod eſt tale per formam denominantem ſic florenus eſt pecunia.

Simpliciter vel *abſolutè* & *ſecundùm quid*. Prima duo ſunt idem & ſignificant rem ſecundùm totum v. g. DEUS eſt ſimpliciter perfectus. Alterum ſecundùm partem v. g. Æthiops ſecundùm quid eſt albus.

In ſenſu compoſito & *diviſo*. Primum eſt quod convenit rei ſtante certa conditione & ſuppoſitione v. g. Suppoſito quod Petrus qui eſt in novitiatu maneat religioſus non audet ſæculariter vivere, id eſt in ſenſu compoſito religionis, ſed in ſenſu diviſo poteſt.

In actu ſignato, & *Exercito*. Primum eſt dum aliquis ſcit. Secundum dum aliquis facit v. g. qui ſcit bene concionari & non bene vivit, dicitur in actu ſignato bene vivere id eſt ſignat & inſtruit alios, qui autem facit dicitur in actu exercito facere, qui *fecerit & docuerit hic magnus erit in regno cælorum.*

Ut

Ut quod, ut quo. Primum eſt quod denominatur. Secundum eſt forma denominans: Sicut lac eſt album ut quod, albedo ut quo.

Prius intentione & executione. Primum eſt in mente alterum in ente v.g. Medicus primò apud ægrotum vult ſanitatem quàm medicinam in intentione, in executione contrarium contingit.

Objectivè ſubjectivè. Primum eſt circa quod verſantur potentiæ v. g. paries eſt objectivè in oculo. Secundum quod ipſis potentijs inhæret ſic viſio, ſive *informativè* ut formæ creaturarum, ſive *denominativè* tantùm ut in divinis.

Quoad Eſſentiam & quoad exiſtentiam. Primum eſt quod convenit rebus per omnes temporum differentias v. g. homo eſt animal hæc propoſitio eſt perpetua. Alterum quod convenit rebus actualiter certis differentijs temporum.

Univocè prædicari & univocum prædicatum. Primum eſt quando aliquid eſſentialiter rei convenit. Alterum quando de pluribus, ut forma denominans & in nomine & in re dicitur.

Poſitivè, negativè. Primum convenit rei propter formam actu poſſeſſam ſic v. g. doctus poſitivè dicitur habere doctrinam, infans negativè, quia licet non habeat, tamen

men etiam non eſt ignorans poſitivè cùm ſit incapax ad tempus.

Reduplicativè vel *quatenus* vel *quâ tale* vel *ut tale* (quæ idem ſignificant) & *ſpecificativè* vel *quod tale.* Primum deſignat formam ſecundùm quam. Secundum ſubjectum v. g. homo qui eſt Logicus, & etiam Muſicus, quatenus logicus in ſenſu reduplicativo ſtudet, qui logicus vel ſpecificativè cantat, è contra qua Muſicus cantat qui Logicus.

Termini exponibiles ſunt qui expoſitione indigent propter metaphoram vel amphibologiam, Excluſivi qui alios excludunt, tantùm, duntaxat, ſolum, & exceptivi, præter nisi &c.

Alios terminos directè, adæquatè, totaliter, proximè, abſolutè, arithmeticè, neceſſitate antecedenti, ignorantia facti, extrinſecè, de poſſibili &c. ac eorum oppoſiti difficultatem non patiuntur, & per decurſum patefient.

F.

Quid ſit nomen ?

DIco nomen eſt ſignificativum rectú ſinè tempore ità ex profeſſo contra omnes qui vel proprias nominis deſcriptiones ab hac definitione alienas poſuerunt vel illam Ariſtotelis quod ſit *vox ſigni-*

gnificativa ad placitum ſinè tempore cujus nulla pars ſeparata ſignificat finita & recta 1. perih. c. 2. fuerunt amplexi:

Examinatur itaque primò & rejicitur dicta nominis deſcriptio, imprimis enim hæc convenit ſoli *nomini vocali* ut patet, ergò non eſt cenſenda accomodata uſui dialecticorum qui & mentali ac ſcripto utuntur, ſed hoc parum eſt: deinde non apparet cur non poſſent eſſe *nomina naturaliter ſignificantia* præſertim mentalia: inſuper fruſtrà adduntur iſtæ particulæ *cujus nulla pars ſeparata ſignificat*, tum quia non eſt idem nomen grammaticum & philoſophicum, tum quia Ariſtoteles has addidit ad differentiam orationis ſed hæc ratio nulla eſt, cùm aliundè diſcrimen primarium pateat ut mox dicam, tum tandem quod eâ ratione quâ admittitur terminus complexus prorſùs quoque admitti poteſt imò debet nomen complexum; nam etiam juxtà Adverſarios nomen quodcunq; poteſt eſſe terminus, licèt juxta eos inconvertibiliter: ſimiliter rejici poſſet propter particulam *Finita*, nam nomina infinita v. g. non ens poſſunt eſſe termini in ordine ad Formandum debitè diſcurſum v. g. omnis terminus extra genus negat quidquid eſt vel eſſe poteſt ſed non ens eſt terminus extra genus ergo &c. hac igitur deſcriptione omiſſa. Pro-

Probatur quod definitio nominis optima ſit hæc *ſignificativum rectum ſinè tempore* nam convenit omni & ſoli, imprimis convenit omni, addendo *mente conceptum* ecce nomen mentale, *voce prolatum* vocale, *Calamo exaratum* habes nomen ſcriptum: quod autem ſoli nomini etiam probatur neque enim verbo à quo diſtingvitur per particulas *ſinè tempore*, neque *orationi* à qua diſtingvitur per particulas *rectum* imò & *ſinè tempore*, neque enim requiritur ut oratio quà talis ſit in recto etiam pro formando diſcurſu v. g. liber petri, neque de ratione orationis eſt ut ſignificet ſinè tempore, ipſa enim præſcindit ſiquidem oratio enuntiativa ſignificat cum tempore, non enuntiativa ſinè tempore ut adhuc dicetur.

Si quæras quænam nomina ſint ſignificativa ad placitum? Reſpondeo Vocalia & ſcripta nam Angeli de facto loquuntur nominibus naturaliter ſignificantibus ex Sco. in 2. d. 3.

Objicies I. illa definitio non convenit omni nomini ergo &c. probatur antecedens, aliqua nomina ſignificant cum tempore, ergó non convenit omni nomini, probatur antecedens talia ſunt annus, menſis, dies. Reſpondeo negando 1. & 2. antec. ad tertium dico quod ſignificent

tem-

tempus ſed non cum tempore, ſi quæras quid eſt ergo ſignificare cum tempore? Reſpondeo eſt importare certam differentiam temporis.

Inſtabis aliqua nomina important certam differentiam temporis ergo ſolutio ruit, probatur antecedens iſta ſunt nomina hæc dies, hæc hora, hoc momentum, ſed iſta important certam differentiam temporis ſcilicet præſentem ergo &c. Reſpondeo N. antecedens & probationis mi: vel illam diſtinguo ſi implicitè ſint conjuncta verbo c. ſecus & ratione ſui N. mi: & conſeq. quia ſi tò hoc momentum ſignificat tempus præſens debet ſub intelligi hoc momentum quod jam eſt.

Inſtabis aliqua nomina ratione ſui ſignificant cum tempore ergo adhuc nulla ſolutio, probatur antecedens aliqua nomina æquivalent verbis ſed verba ratione ſui ſignificant cum tempore &c. probatur ma: iſta enim hæc dies, hoc momentum ſignificant demonſtrativè ergo æquivalent huic quæ jam eſt. Reſpondeo N. antecedens & probationis majorem ad hujus probationem eandem diſtinctionem quam ſtatim rurſus applico & N. coſequentiam idem dic ad illa nomina præteritio, futuritio, craſtinum &c.

Inſta-

Inſtabis ſaltem aliqua nomina ſecundariò ſignificant cum tempore v. g. Cœna præter comeſtionem tempus veſpertinum &c. Reſp. N. aſſumptum & dico quod hæc in obliquo connotent vel conſignificent tempus, at non deſignant temporis differentiam pro formali.

Objicies II. nomen eſt terminus ſed non eſt opus ut termini ſint in recto ergo ſuperflua eſt particula rectum probatur minor exemplo cujus eſt liber ubi vides ſubjectum eſſe in obliquo. Reſpondeo N. minorem & probationis ſuppoſitum quod hæc ſit per ſe dialectica propoſitio id eſt in ordine ad generandam ſcientiam.

Inſtabis oratio pertinet directè & per ſe ad dialecticā ſed illa eſt indifferens ad rectū & obliquum ergò &c. Reſpondeo. diſtinguendo majorè perfecta c. imperfecta ſubdiſtinguo remotè tranſeat proximè N. ſic plura ſolves.

G.

Quid ſit Verbum.

DIco Verbum eſt *ſignificativum cum tempore cujus nulla pars ſeparata ſignificat.* eſt quoq; contra eos qui definitionem verbi ab Ariſtotele traditam velut Evangelicam habent, utpote quod ſit *vox ſignificativa ad placitum cum tempore Finita, recta cujus &c.* Exa-

Examinatur rurſus deſcriptio iſta ac rejicitur, primò proportionaliter ad ea, quæ dicebam ſub littera F. convenit enim ſoli vocali ut liquet, deinde continet falſum ſuppoſitum & excludit quæ non ſunt excludenda, ac eſt fuſior quam oportet, ergo &c. probatur antecedens per partes, imprimis enim propter particulam *Finita*, ſupponit dari verba infinita, aliàs hæc gratis poneretur, atqui verba infinita non dantur ergo &c. probatur minor, participia non habent rationem verbi logici, ſed nominis cum non ſignificent cum tempore v.g. amans, ſtudens; atqui negatio conjuncta verbo ſemper afficit participium, ergo verbum infinitum non datur, ſiquidem *non eſt, non ſtudet*, non negat copulá ſed exiſtentiam ac ſtudium: coll. ex Sco. 2. perih. q. 1. deindè particula *recta* non eſt hic tantæ neceſſitatis, nam licet copula in indicativo primariò connectat in ordine ad generandam ſcientiam, tamen etiam in alijs modis idipſum commodè fieri poteſt, quemadmodum licet *eſt* in tertia perſona vocetur copula per excellentiam, proindè non excluduntur aliæ perſonæ, & quid vetat ſic loqui ſi terminus eſſet propoſitio conſtaret copula. Nec dicas hoc fieri eò quod æqui valeant ſimiles actus indicativo modo propoſitis, contra non eſt neceſſe

ſmò perfecta concluſio ſæpe generatur ex continua copula in modo coniunctivo. poſtremo iſtæ particulæ *cujus nulla pars &c.* faciunt definitionem per additamentum, nam ab oratione ſufficienter videtur diſtingui quod ſemper exprimat, ut affirmatio & negatio, hæc verò eſt præſcindens. Nunc probatur quod definitio verbi data quod ſit *ſignificativum cum tempore* ſit adæquata ac pro claritate hujus & appoſitæ ditata additamento *cujus nulla pars ſeparata ſignificat*: probatur inquam tum quia comprehendit verba mentalia ac ſcripta, tum quia conſtat genere ac differentiâ ut patet, nam quidquid ſignificat cum tempore, hoc participat à verbo, unde Magiſter ſententiarum & paulus venetus *verbum definiunt terminum temporaliter ſignificativum ac unitivum prædicati cum ſubjecto* ubi diſplicet lij *terminus.*

Objicies I. illa definitio non exprimit naturam verbi logici, ergo non eſt admittenda, probatur antecedens natura verbi logici eſt connectere prædicatum cum ſubiecto, atqui hujus non fit mentio ergo &c. Reſpondeo N. antecedens & probationis minorē vel illam diſtinguo explicitè tranſeat implicitè N. nam ſignificare cum tempore eſt connectere prædicatum ſubjecto.

Inſtabis Magiſter ſententiarum inquit

quod

quod verbum ſit temporaliter ſignificativum & unitivum ergo primum non ſignificat alterum implicitè. Reſpondeo N. conſequentiam ſæpe enim *Et* cum *vel* confunditur in authoribus, & frequentius ſimile quid exprimitur pro incipientibus quod de rigore omitti præſtaret.

Objicies II. neque pro prædicato conſtitutivo neque pro additamento valent iſtæ particulæ *cujus nulla pars ſeparata ſignificat* in definitione verbi ergo ſunt omittendæ, probatur antecedens alias non conveniret omni, probatur ſequela verbum ſatis-facio habet partes ſeparatas ſignificantes ergo &c. Reſpondeo N. antecedens cum ſequelâ, ad hujus probationem ſolet dici quod ſeorſim non ſignificent idem partes quod conjunctim, ità alij quoque de nominibus prorex, reſpublica, Dominus &c.

Inſtabis ſatis-facio ſeorſim ſignificat æq; ſatis laborare vel ſolvere ac conjunctim, ergo ſolutio eſt inefficax. Reſp. cum Tartareto definitionem verbi eſſe datam de verbo de tertio adjacente *Eſt* quod propriè logicum verbum eſt, hinc etſi fortè ſolvi poſſint ſimilia de nomine, præſtat in definitione nominis ea omittere.

Objicies III. dantur verba infinita ſed hæc non pertinent propriè ad logicam ergo in

go in definitione verbi logici debebat addi *Finitum* , probatur major participia ſunt verba, ſed, ergo. Reſpondeo N. majorem & probationis ma. diſtinguo ſunt verba grammaticaliter C. philoſophicè N.

Inſtabis participia ſunt verba philoſophicè ergo &c. probatur antecedens alias tantùm unicum daretur verbum logicum ſcilicet, ſum, es, eſt, in quod reliqua debent reſolvi. Reſpondeo N. antecedens, ad ſequelam dico quod omninò oporteat per iſtud verbum ſubſtantivum reliqua reſolvi, proindè tamen dicuntur plura verba ſcilicet quæ idipſum involvunt, Cæterum reſolutivè & explicitè ipſum ſolum eſt.

H.

Quid ſit Oratio.

DIco oratio eſt ſignificativum ut dictio cujus partes ſeparatæ ſignificant, ita ex inſtituto ut comprehendatur vocalis mentalis ac ſcripta conformiter antecedentibus, cæterùm genus & differentiam abundè ex dictis colliges; reſtat explicare quid ſibi velit hæc particula *ut dictio* , & quidem communiter ſolet ſic exponi quod ſignificet ſinè vero ac falſo, vel etiam ſinè affirmatione & negatione *vide ſummuliſtas* ſed quomodo tunc definitio orationis conveniet omni? ſcilicet orationi

tioni enunciativæ perfectæ, quæ dividitur tanquam in ſpecies in affirmativam ac negativam & velut per proprietates in veram & falſam. melius igitur ex Rotondi (Reverendiſſimo Generali noſtro vivente & feliciter regente) ponuntur ad deſignandum partes orationis ſignificare ut eſt dictio apud grammaticos, eſto aliquando non adſit affirmatio vel negatio: *cujus partes ſeparatæ ſignificant* intellige neceſſariò, per quòd ultro à nomine ac verbo diſtinguitur, neque dicas etiam nomen complexum juxta nos habet partes ſeparatas ſignificantes, materialiter verum eſt quidem per accidens reſpectu nominis ut ſic, ſicut etiam oratio poteſt eſſe in recto, neque tamen hoc neceſſe eſt: pro ulteriori horum notitia.

Quæres primò utrum oratio ſignificet cum vel ſinè tempore, in recto vel obliquo, Reſpondeo ipſam formaliter præſcindere id eſt neque ſic neque ſic ſed indifferenter juxta varias ejuſdem claſſes. hinc.

Quæres ſecundò quotuplex ſit oratio. Reſpondeo duplex, enuntiativa & non enuntiativa, prima cum tempore altera ſinè eo ſignificat Exe. prioris eſt Petrus ſtudet, ſecundæ Petrus albus.

Quæres tertiò quotuplex ſit oratio enuntiativa. Reſpondeo duplex, enuntiativa per-

va perfectè id eſt quæ quietat animum audientis categorico ſenſu,& enuntiativa imperfectè quæ quidem aliquo modo quietat audientem ſed ſinè affirmatione vel negatione v. g. ſi plueret, utinam plueret: poſterior fit ſignis optandi conjungendi &c. prior multifariam litt. ſequenti dividetur, & contingit ſubindè unica voce explicitè pronunciari v. g. ſcribo id eſt ego ſum ſcribens.

Objicies oratio conſtat pluribus ſignificativis ergo malè dicitur ſignificativum in ſingulari. Reſpondeo diſtingvendo antecedens inter ſe unitis C. ſinè ordine ad invicẽ N. antecedens & conſequentiam, eſt itaq; ſignificativum complexum.

Inſtabis ergo idem erit oratio & terminus complexus Reſpondeo primò N. illatum nam terminus petit eſſe in recto at quia & oratio ad hoc ut ſerviat pro diſcurſu ſaltem inadæquatè debet eſſe recta Reſpondeo Secundò diſtinguendo illatum materialiter & ſub diverſa ratione vel ſpecificativè C. Formaliter N. hæc reſponſio ſæpe eſt uſui, ſic enim ille terminus qui eſt abſtractus etiam eſt finitus &c.

Inſtabis neque oratio materialiter ſumpta poteſt eſſe terminus ergo &c. probatur antecedens oratio non poteſt eſſe nomen ſed terminus eſt nomen ergo &c. probatur

major

major, oratio habet partes ſeparatas ſignificantes ergo &c. Reſpondeo N. antecedens & probationis majorem loquendo de eâ materialiter acceptâ ad hujus probationem N. conſequentiam nam nomen complexum etiam habet partes ſeparatas ſignificantes.

Inſtabis quâ ratione fingitur tale nomen de novo? Reſpondeo etſi fortè non ſit uſitatum, eadem quâ terminus complexus: terminus in quantum eſt extremum propoſitionis, nomen in quantum ſignificat in recto ſinè tempore, oratio ſub ratione dictionis declaratæ proximè.

Regula pro Neodialecticis ſit iſta, quod ſi quis interrogetur quid ſit nomen, verbum, ac oratio? cùm debeat reſpondere vocetenus, & interroganti fortè nihil de his definitionibus conſtaret. Reſpondeat nomen ut ſic (hoc eſt præſcindens à vocali, mentali, & ſcripto) eſt *ſignificativum rectum ſinè tempore*, & ſic de cæteris alioquin niſi adderet *ut ſic* præſtat primâ fronte dicere, eſt *vox ſignificativa ad placitum recta ſinè tempore*, præſertim ſi interrogetur à minus doctis, qui erronea cenſent, quæcunque communia non ſunt: nec obeſt quod certæ academiæ verba Ariſtotelis requirant, præterquam quod & hic addantur, *vera cognitio rerum Domina.*

I.

Quot ſint mentis operationes ac modi ſciendi?

DIco tres ſunt mentis operationes ac modi ſciendi. Ita paſſim veri Philoſophi.

Declaratur quoad primam partem, ſcilicet quod ſint tres mentis operationes *ſimplex apprehenſio, judicium*, ac *diſcurſus*. Prima eſt pura ac nuda alicujus termini cogitatio, id eſt nihil dicendo vel inferendo v.g. ſi quis cogitat homo, & nihil intra ſe dicit quid ſit, an ſit &c. Judicium verò eſt quando aliquid de tali termino dicitur per affirmationem vel negationem. Diſcurſus quando ex uno judicio aliud infertur, de quibus poſtea.

Declaratur quoad alteram partem in quâ dicitur eſſe quoque tres modos ſciendi: qui ſunt definitio, diviſio, Argumentatio. per modum ſciendi, vel ut alij, per inſtrumentũ ſciendi intelligitur *aliqua orat. diſtinctè manifeſtans ignotũ*, adeoq; dicimus quod talis or: ſit triplex, id eſt, quod triplici viâ, methodo, vel modo poſſimus clarè percipere illa quæ ante ſunt ignota, nimirum per definitionem, diviſionem, argumentationem de quibus ſingulatim debito loco.

Notandum ac obſervandum diligentiſſimè,

ſimè, quod iſtæ tres mentis id eſt intellectûs operationes poſſint dupliciter conſiderari, *Formaliter ac objectivè*, primo modo ſunt ipſi actus intellectus, ſecundo modo ſunt illæ res circa quas verſatur intellectus, v. g. quando quis ſimpliciter apprehendit terminum *lignum* iſta cogitatio vocatur *ſimplex apprehenſio vel terminus Formalis*, illa res verò id eſt *lignum* vocatur apprehenſio vel terminus objectivus: idem de judicio ac diſcurſu applica; atque ita etiam conſiderari poſſunt tres modi ſciendi, *Formaliter* id eſt pro actibus, per quos intellectus manifeſtat ignotum, & *objectivè* id eſt pro rebus quæ manifeſtantur uno ex tribus modis, occaſione horum.

Quæres primò, ad quam mentis operationem pertineat dubitatio? Reſpondeo actus dubitandi, admirandi, ſvadendi, optandi, imperandi pertinere ad ſecundam mentis operationem, ſunt enim orationes imperfectè enuntiativæ, atqui omnis enuntiatio eſt proportionaliter judicium ergo &c.

Quæres ſecundò, an ignota poſſint aliter manifeſtari, quam per iſtos tres modos ſciendi? Reſpondeo negativè in ordine ad concluſionem ſcientificè formaliter efformandam, quin & fide cognita reflexè demonſtrantur pro tali fine excogitarunt

quidem aliqui quartum, quem vocant methodum, ſed de hac multa leges apud Zarabellam, ac tandem nihil diſtincti quod proſit invenies.

Quæres tertiò, an etiam illa, quæ jam nota ſunt, poſſint manifeſtari per hos ſciendi modos? Reſpondeo negativè ſuppoſitò quod ſint omninò nota, quod ſi tamen videntur nota, & probabiliter ſaltem adſit ratio dubitandi utique poſſunt illuſtrari, & quidem ſignandum eſt, aliud eſſe manifeſtari *ignotum* aliud *certum*, quoniam certum eſt omne rationale eſſe riſibile & tamen hoc multi ignorant.

Quæres quartò, an dentur termini ſenſibiles ſenſu interno? Reſpondeo reſolutionem dependere à gravi controverſia ex libris de anima, quomodo ſcilicet inſtinctus naturæ poſſit ratione diſcerni ab intellectu, hic ſufficit quod tales non deſerviant fini dialectico.

Objicies contra utramque concluſionis partem: prima & ſecunda mentis operatio includuntur in tertia, ſimiliter primus & ſecundus ſciendi modus non manifeſtant perfectè ignotum niſi reducantur ad tertium, ergo eſt tantum unica mentis operatio & unicus ſciendi modus? Reſpondeo diſtinguendo conſequens ultimatè tranſeat, abſolutè N. verum quidem eſt quod in ordine

dine ad ſcientificè intelligendum prima ac ſecunda mentis operatio ad tertiam reducantur (idem eſt de inſtrumentis ſciendi) indè tamen nihil infertur, niſi quod tertia ſit cæteris principalior; hactenus potiſſimùm egimus de prima mentis operatione, de reliquis acturi præmittere volumus modos ſciendi.

K.

Quid & quotuplex ſit Definitio.

DIco definitio *eſt oratio explicans quid ſit res*. ità colligitur ex communi modo loquendi Philoſophorum poſt Ariſtotelem 2. poſter. cap. 7.

Sed ſciendum eſt I. definitionem aliam *eſſe quid nominis*, aliam *quid rei*. Prima explicat nomen alicujus rei v. g. JESUS Chriſtus ſignificat Salvatorem, homo provenit ab humo, lex à verbo *ligat*, nec importat quod conveniant rebus nomina ſæpè ſuis, hoc enim per accidens fit. Definitio ſecundùm quid rei eſt *oratio explicans quid res ſit*. id eſt explicat eſſentialia & intrinſeca conſtitutiva rei, & hæc eſt propriè definitio de qua loquimur.

II. Definitio propria duplex eſt. *Quidditativa vel rigoroſa vel eſſentialis*, & *deſcriptiva vel per accidentalia*. Prima eſt quæ exprimit naturam rei per proximum genus & differentiam, id eſt per prædicatum in quo con-

convenit cum alijs, & in quo diſconvenit v. g. homo eſt animal rationale, homo conſtat corpore & anima, & ſi illa prædicata vel termini ſunt entitates Metaphyſicæ vocatur definitio *quidditativa metaphyſica* v. g. homo eſt rationalis. Si verò ſunt phyſica vocatur definitio *quidditativa phyſica* v. g. homo eſt habens corpus & animam: quid autem ſint termini phyſici vel metaphyſici per decurſum patebit. Secunda ſcilicet deſcriptiva, quæ oratoriè deſcribit rem aliquam v. g. homo eſt nobilis creatura, doctrinæ capax, ad beatitudinem ordinata &c. ſed hanc parum curant Philoſophi.

III. Definitio quidditativa iterum eſt duplex: *Pura* & per *additamentum*. Prima quæ eſt optima, fit ſolùm per genus & differentiam v.g. homo eſt animal rationale, & hoc modo explicantur termini abſoluti & ſubſtantiales. Altera quæ pro majori intelligentia præter Genus & differentiam addit vel aliquam proprietatem, vel aliquod connotatum v. g. homo eſt animal rationale, riſibile, mortale, & ſic definiuntur accidentia, relativa, connotativa, partes, potentiæ, actus, materia, forma, motus &c.

Sciendum eſt IV. quòd ad bonam definitionem requirantur communiter tres conditiones (quamvis aliqui quatuor dicant,

cant, quarta ſub his tribus continetur. itaque: *Prima conditio* bonæ definitionis eſt, quod conſtet *ex genere & differentia* (intellige proxima) hoc eſt ut fiat per aliquem terminum in quo illa res quæ definitur convenit cum alijs, & iſte vocatur genus, & ut fiat per aliquem terminum in quo illa res quæ definitur ab omnibus omninò alijs rebus differat, & iſte vocatur *differentia* v. g. ſi aliquis homo quærat *quid eſt homo*, Reſpondetur eſt animal rationale, terminus *animal*, eſt genus, quia homo in hoc quòd ſit animal convenit cum brutis, terminus *rationale* eſt *differentia.* *Secunda conditio eſt* ut *definitio ſit adæquata & convertibilis* hoc eſt ut conveniat omni & ſoli contento ſub ipſo definito, id eſt ſub illa re quæ definitur v. g. quando homo definitur animal rationale, hæc convenit omni homini & ſoli homini ſic dè cæteris.

Tertia conditio eſt: *Ut ſit clarior & notior definito*, hoc eſt ut non ſit nimis brevis, ut non habeat in ſe ſuperflua &c. & ut per illam res quæ eſt definienda, clarè percipiatur, quia definitio eſt modus ſciendi ignotum, una ex his tribus conditionibus ſublata, definitio non erit rigoroſa.

Sciendum eſt V. quod non omnis res poſſit bene ac rigorosè definiri unde ex Scoto in 4. diſt. 1. Quæſt. 2. aſſignantur pro hoc ſep-

ſeptem conditiones. Prima ut definitum ſit *ens poſitivum* non negativum, quale eſt tenebræ, cæcitas. Secunda ut ſit *ens per ſe* non per accidens ut eſt cumulus lapidum, tritici &c. tertia quod ſit *ens reale* non fictitium. Quarta ut ſit *univerſale*, nam ſingularia non definiuntur. Quinta ut ſit *univocum*. Sexta ut ſit *ens finitum* propter quod excipitur DEUS. Septima ut non ſit *ſimpliciter ſimplex*, hoc eſt: quòd poſſit in plures conceptus objectivos reſolvi.

Obſerva tamen quòd hæc ad omninò rigorosè definiendum requirantur. Cæterùm quàmvis unum vel alterum ex his ſubindè deſit adhuc poſſunt explicari & definiri propriè v. g. ens rationis &c.

Objicies contra concluſionem, definitio non poteſt definiri, ergo fruſtrà dicitur quòd ſit oratio &c. Probatur antecedens vel enim definiretur per ſeipſam (& hoc non poteſt dici, quòd idem per ſeipſum definiatur, aliàs definitio non eſſet clarior definito) vel definiretur per aliam, ſed tunc dabitur proceſſus in infinitum, quia illa alia iterum indigebit explicatione & iſta explicatio iterum &c. Reſpondeo Nego antecedens, ad probationem dico quod denominativè per ſeipſam, id eſt *ut quod* non verò formaliter & *ut qua*. Neque dicas ergo

erit

erit idem definitum & definitio, Reſpondeo quod ſub diverſo reſpectu, quia ut eſt definitum habet ſe materialiter, denominativè, ut quod, ut res, quatenus verò definitio habet ſe *formaliter*, *eſſentialiter*, *ut quo*, *ut modus*. Simile argumentum fiet in Logica de genere.

Inſtabis etiamſi definitio prout eſt definitum ſe habeat denominativè, adhuc ſequitur proceſſus in infinitum, ergo ſolutio nulla. Probatur antecedens illa definitio formaliter iterum poterit ſe habere denominativè reſpectu alterius formalis, & illa iterum & ſic in infinitum quod apud Philoſophos reputatur pro vitio, Reſpondeo N. antecedens cum Probatione, quia illa definitio definitionis ſe habet, ut quo ſignatè adeoq; nequit iterum ſe habere ut definitum denominativè, nam quod eſt alteri ratio eſſendi tale in recto nequit dici tale. ut loquuntur Philoſophi.

L.

Quid & quotuplex ſit diviſio?

Dico diviſio eſt oratio totum diſtribuens in ſuas partes, ità ferè omnes.

Declaratur quod hæc explicatio diviſionis ſit bona, quia continet quid quid ad legitimam definitionem requiritur. Vide ſupradicta. ly Oratio ponitur lo-

cò

cò generis nam per hoc convenit cum definitione & argumentatione reliqua ſunt differentiæ locò

Sciendum eſt I. quòd diviſio alia ſit grammaticalis alia Philoſophica. Prima eſt quæ non fit voce vel mente ſed aliquo inſtrumento Phyſico v. g. quando dividitur lignum ſerrâ, vel quid aliud gladio, vel cultro &c. Altera quæ huc pertinet ſubdividitur in ſecundùm quid nominis, & ſecundùm quid rei. Primò modo accipitur pro uno eodémque nomine diverſis rebus applicato v. g. vivus & pictus, ſecundo modo quæ eſt magìs propria, quando res dividitur in ſua ſignificata v. g. quando animal dividitur in rationale & irrationale.

II. Quod diviſio ſecundùm quid rei ſit duplex: Logica vel metaphyſica & phyſica. Prima eſt quando res dividitur in partes, quæ ſunt termini ſecundæ intentionis vel formalitates, altera quando termini in quos dividitur aliquid, ſunt termini primæ intentionis ac reales. Exemplum primæ eſt: diſtinctio rationis in ratiocinantem & ratiocinatam. Exemplum ſecundæ eſt diviſio hominis in corpus & animam.

Deinde diviſio phyſica ſubdividitur *in eſſentialem, integralem, & univerſalem.* Prima eſt quando compoſitum phyſicum dividitur in partes conſtituti-

tutivas intrinſecas. v. g. allata diviſio hominis in corpus & animam. integralis eſt quando compoſitum phyſicum dividitur in partes integrantes id eſt quantitativas v, g. diviſio hominis in caput, collum, brachia, pedes &c. quæ convenit omni enti mathematico. Tertia ſcilicet univerſalis eſt, quando totum diſtribuitur in ſuas partes ſubjectivas. v. g. animal in hominem & Brutum, & hæ ſolent vocari, diviſio totius eſſentialis, totius integralis ac totius univerſalis.

III. Quòd tam diviſio phyſica quàm logica adhuc ſit duplex per ſe & per accidens. Prima eſt in partes totum conſtituentes ſive integraliter ſive eſſentialiter ut in exemplis allatis; altera quæ fit in partes merè accidentales v.g. dividendo hominem in Italum & Boëmum, Fuſcum & rubrum &c.

IV. Quòd diviſio per accidens rurſum ſit triplex. Prima accidentis in ſubjectum v. g. nigrorum unus eſt corvus, alter eſt Æthiops, Secunda eſt ſubjecti in accidentia v. g. hominum unus eſt niger alter eſt albus. Tertia eſt accidentis in accidentia v. g. dulcium aliud eſt album aliud nigrum. Ubi obſervandum eſt, quòd illa accidentia in quæ aliud dividitur non debeant eſſe ejus inferiora, aliàs eſſet diviſio totius univerſa-

E

verſalis in partes ſubjectivas v. g. ſi coloratum divideretur in album & nigrum.

Inſuper diviſio Phyſica integralis alia eſt homogenea id eſt quæ dividitur in partes quantitativas ejuſdem rationis v. g. ſi libra carnis in varias particulas carnis divideretur. Altera eſt heterogenea id eſt cujus partes ſunt diverſæ naturæ & rationis v. g. ſi bos dividatur in ſangvinem, cutem carnem, & oſſa; his omnibus convenit diviſio potentialis vel actualis, id eſt quòd actu ſic dividantur vel poſſint dividi. Tandem eſt diviſio univoci in univoca, Æquivoci in Æquivoca.

V. Tres quoque conditiones requiruntur ad bonam diviſionem. Prima ut membra dividentia ſint oppoſita. v. g. rationale irrationale ſive contrariè ſive ſeparatè ità tamen ut unum aliud non includat. Secunda eſt ut membra dividentia, ſint adæquata hoc eſt ut nec excedant nec excedantur ſive ut diviſum non latius pateat quàm omnia membra dividentia quod ſignificat partes collectivè ſumptas debere eſſe tot quot habet ipſum totum. Tertia ut ſit bimembris vel ſaltèm ad bimembrem reducibilis, ut non fiat confuſio multitudine partium. Propter defectum primæ conditionis non valet ſi dicas animal dividitur in rationale &

vivens

vivens, quia hæc non opponuntur poſſunt enim de ſe invicem prædicari, quòd nequit de oppoſitis dici. Propter defectum ſecundæ non valet diviſio animalis in reptile & natans, quia dantur alia animalia. Propter defectum tertiæ malè divideres animal in hominem, leonem, equum, piſcem &c.

Alij quartam ſuperaddunt, ut nimirum diviſum latius pateat quàm unum ex membris dividentibus, ſed hæc plus quàm implicitè per ſecundam bonæ ac rigoroſæ diviſionis conditionem exponitur. Similiter diviſio per ſimilitudinem v. g. Credo DEUM eſſe aliquod ens quod æq; ſignificat DEUM eſſe ens quàm aliquod ens eſſe DEUM, vel legi gallos viciſſe germanos ubi tam pro victoria gallorum quàm germanorum exponi poteſt, & ſimilia reducenda ſunt ad nomina propria.

M.

Quid & quotuplex ſit propoſitio?

DIco propoſitio ut ſic bene definitur quod ſit *oratio in qua unum dicitur de alio*; ità ex manuſcriptis philoſophi deſumitur eámq; R. R. utcunque amplectuntur.

Probatur, illa definitio bona eſt, quæ ſit per primò conſtituentia prædicata, ſed, ergo. mi-

go.minor declaratur, priùs enim intelligitur unum dici de alio, quàm dici ſic vel ſic id eſt affirmando vel negando, ſicut & priûs eſt affirmare & negare quam veritas & falſitas; unde illa definitio Ariſtotelis, propoſitio eſt *oratio aliquid affirmans vel negans* potius eſt diviſio, & illa Ariſtotelis 1. perih. *oratio verum vel falſum ſignificans judicando* eſt per additamentum, nam veritas & falſitas ad ſumum ſub disjunctione ſunt proprietates propoſitionis. confirmatur ex regulis bonæ definitionis bonitas noſtræ; ly oratio ponitur loco generis, reliqua loco differenitæ, quod ſi rigorosè vellemus loqui, *mentis operatio* deberet locum generis habere.

Obſerva quod propoſitio aliquando vocetur enuntiatio id eſt oratio enuntiativa, & bene, ſunt namque idem quidquid veteres dixerint, differentia hæc eſt ad placitum, quod extra diſcurſum dicatur enuntiatio, in argumentatione verò propoſitio; de ſubjecto &c. dictum fuit.

Dividitur autem primò propoſitio in *affirmativam* & *negativam* tanquam univerſale in partes ſubjectivas. utraque ex prædictis dividitur *in verã & falſam* & hæc eſt diviſio ſubjecti in accidentia. porrò propoſitio *affirmativa* eſt oratio in qua unum dicitur de alio abſque negatione, vel in qua

præ-

prædicatum ſubjecto tribuitur, *negativam* oppoſito modo explicabis. Propoſitio *vera* eſt in qua unum de alio dicitur prout res in ſe eſt v. g. Petrus eſt homo, non eſt lapis: propoſitio *falſa* in qua unum de alio dicitur aliter quam res in ſe eſt v. g. Petrus non eſt homo, eſt lapis, *ex eo enim quod res eſt vel non eſt oratio dicitur vera vel falſa* inquit Philoſophus c. de ſubſtantia. Adverte non eſſe idem falſam & negativam, quia negativa poteſt eſſe vera & falſa v.g. Petrus non eſt lapis, non eſt animal.

Dividitur ſecundò propoſitio (tam affirmativa quàm negativa, tam vera quam falſa) in *Categoricam* & *hypotheticam*: prima eſt in qua prædicatum abſolutè dicitur de ſubjecto, Categorizo enim ſignificat prædico: altera in qua prædicatum aliquo præſuppoſito dicitur de ſubjecto, v. g. ſi ſol eſt, dies eſt, ſiquidem eſt compoſitum ex *hypos* id eſt ſub & *theſis* id eſt poſitio. *Categorica* duplex eſt *ſimplex* & *compoſita vel complexa*: prima conſtat unica copula ac prædicato de uno ſubjecto, altera duabus copulis ac prædicatis de eodem ſubjecto, vel coaleſcit ex duabus propoſitionibus inter ſe proximè ordinatis, ſi enim quicunque ordo ſufficeret major & minor eſſent propoſitio complexa. Hypothetica ſemper eſt complexa & fit dupliciter, vel præſupponen-

 do

do conditionem v. g. ſi ſol eſt dies eſt, vel præſupponendo disjunctionem v.g. Petrus vel eſt albus vel niger: copulativa utpote ſimpliciter pronunciari ſolita melius ad Categoricam reducitur.

Colliges malè confundi ab alijs *Categoricam* cum *ſimplici* ac *hypotheticam* cum *complexa*, nam categorica eſt indifferens ad ſimplicem & complexam, utrumque enim eſt categoricè dictum Petrus eſt rationalis deinde Petrus eſt rationalis & eſt riſibilis: hypothetica quidem ſemper eſt complexa ſed non è contra.

Dividitur tertiò propoſitio (tam categorica quàm hypothetica, tam ſimplex quàm compoſita) in *abſolutam* & *modalem* prior eſt prædicatio abſq; modo, poſterior cũ *modo*, modi autem aſſignantur quatuor, *poſſibile*, *impoſſibile*, *contingens*, *neceſſe*: hinc ſi dixeris Petrus eſt riſibilis, vocatur propoſitio abſoluta, ſi addideris Petrus eſt neceſſariò riſibilis, habes modalem, ubi advertendum eſt, modum illum debere afficere utrumque terminum in propoſitione, id eſt debere inſinuare quomodo prædicatum dicatur de ſubjecto, quâ ratione hæc non eſt modalis Antichriſtus poſſibilis eſt homo ſed ſic poſſibile eſt Antichriſtum eſſe hominem.

Subdividitur inſuper propoſitio præſertim

tim Categorica diverſimodè in *directam vel naturalem* & in *indirectam* vel *innaturalem*, prima eſt quando ſuperius prædicatur de inferiori v. g. homo eſt animal & hæc eſt nobilior: altera fit oppoſito modo. item alia eſt *per ſe* alia *per accidens*, prima eſt quando prædicatum *neceſſarium* dicitur de ſubjecto v. g. Petrus eſt riſibilis, altera quando *contingens* (non contingenter ut quidam) prædicatur; per accidens etiam ſæpè eſt idem quod caſu. item propoſitio alia eſt *identica* quando idem ponitur loco ſubjecti nominetenus & loco prædicati, v. g. homo eſt homo, alia *Formalis* oppoſito modo fit, v. g. homo eſt animal. rurſus alia eſt *ſignificativa* alia *non ſignificativa* v. g. buff eſt baff: alia explicita & implicita de quibus dictum eſt: alia *de ſecundo*, alia de *tertio adjacente* prior fit per ſolum verbum eſt v. g. Deus eſt, poſterior ſi huic poſtponatur aliud v.g. Deus eſt bonus, ubi Nota in affirmativis ex propoſitione *de tertio* bene inferri *de ſecundo* v. g. Deus eſt bonus ergo Deus eſt, ſcilicet ſi prædicatum exigat actualitatem ſubjecti; in alijs non, neque in negativis.

N.

Quid ſit ſubſtantia, qualitas, & quantitas propoſitionis?

DIco ſubſtantia propoſitionis eſt: quòd ſit categorica vel hypothetica. Qualitas quòd ſit affirmativa vel negativa. Quantitas, quòd ſit univerſalis, particularis, indefinita, vel ſingularis ità Philoſophi communiter: unde quando quæritur: *Quæ qualis*, *quanta*, per terminum *Quæ* intelligitur ſubſtantia, per terminum *qualis*, qualitas, *quanta* quantitas. Cæterùm hæc res potius concedenda eſt ob communem authoritatem quàm de rigore, terminos illos præſertim primos duos examinando.

Confirmatur tamen carmine ad hoc deputato: Quæ? Ca, vel Hyp. Qualis? nè vel aff. U quanta, par, in, ſin. Verùm quia Littera præcedenti de propoſitione Categorica vel Hypothetica, affirmativa ac negativa quantùm ad præſens abundè dictum eſt, hic tantùm ea de quantitate propoſitionis examinabimus.

Eſt igitur propoſitio conſiderando ejus quantitatem quadruplex, ſcilicet: *univerſalis*, *particularis*, *indefinita*, *ſingularis*.

Univerſalis eſt quando ſubjicitur terminus communis, cui præmittitur ſignum univerſale, talia autem ſigna ſunt duo formali-

maliter, nempe omnis, nullus. v. g. omnis homo eſt creatura.

Particularis eſt quando ſubjectum eſt aliquis terminus communis, cui præfigitur aliquod ſignum particulare cujuſmodi ſunt quidam, aliquis, v. g. aliquis homo currit.

Indefinita eſt quando ſubjectum eſt terminus communis ſinè ullo ſigno v.g.homo ſtudet, animal dormit.

Singularis eſt quando ſubjectum eſt terminus *ſingularis*; vel communis cum ſigno pronomine demonſtrativo, qualia ſigna ſunt hic, iſte, ille, Exemplum primi modi eſt: Petrus pingit, Secundi hic homo eſt bonus.

Reliqua de varia propoſitionum harum ſubdiviſione v. g. quid ſit propoſitio demonſtrativa, per ſe nota, & ſimilia quàm plura ſuo loco patebunt, nunc.

Quæres primò quænam ſit forma propoſitionis dialecticæ? Reſpondeo eſſe ipſam copulam de qua jam antecedenter dictum fuit.

Quæres ſecundò quænam ſit materia propoſitionis? Reſpondeo eſſe ipſos terminos. Eſt autem materia triplex. Neceſſaria, contingens, remota. Materia neceſſaria eſt quando prædicatum neceſſariò convenit ſubjecto ſivè in primo ſivè in 2do modo dicendi per ſe v. g. homo eſt rationalis, riſibi-

ſibi-

ſibilis. Materia contingens quando prædicatum convenit ſubjecto ut poſſit non convenire v. g. homo eſt niger. Materia remota eſt quando prædicatum nullo modo poteſt convenire ſubjecto v. g. homo eſt piſcis, piſcis eſt lignum &c. ex quibus ſequuntur ſequentes Regulæ.

Prima: in materia neceſſaria propoſitio affirmativa, eſt ſemper vera, negativa ſemper falſa, omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal.

Secunda: in materia contingenti propoſitiones particulares poſſunt eſſe ambæ veræ v. g. quidam logicus bene ſtudet, quidam Phyſicus non bene ſtudet, ſi verò ſint univerſales poſſunt eſſe ambæ falſæ v. g. omnis Logicus bene ſtudet, nullus logicus bene ſtudet.

Tertia: in materia remota affirmativa ſẽper eſt falſa, negativa ſemper eſt vera, v. g. omn. homo eſt piſcis, null9 homo eſt piſcis.

Quæres tertiò quænam ſint ſigna univerſalia. Reſpondeo jam dictum eſſe hæc: omnis, nullus. Particularia, aliquis, quidam. Demonſtrativa: hic, ille, iſte. Circa quæ auream regulam habe. Quando in propoſitione ponitur ſignum univerſale affirmativum tantúm ſubjectum accipitur univerſal. v. g. omnis homo eſt animal non enim prædicatum univerſaliter accipitur v. g. omnis homo eſt omne animal. Quando ve-

do verò propter ſignum univerſale negativum ponitur, & ſubjectum & prædicatum univerſaliter accipitur ut dictum eſt ſub littera c. hæc de propoſitionũ ſubſtantia, quantitate ac qualitate ſufficiunt.

Objicies tamen I. contra definitionem datam: Ariſtoteles & alij poſt ipſum 1. prio. dicunt quod propoſitio ſit *oratio verum & falſum ſignificans*, & quod ſit *oratio aliquid affirmans vel negans*, ergo vel noſtra definitio non eſt bona, vel iſtæ peccant Reſp. Solutionem eſſe facilem ex littera præcedenti, ubi vitia illarum oſtendi, vel dic has eſſe definitiones minus rigoroſas.

Inſtabis etiam noſtra eſt vitioſa, nam convenit definitioni, dicendo v. g. homo eſt animal rationale. Reſpondeo N. antecedens & probationem diſtinguo convenit definitioni quâ tali N. ſpecificativè id eſt quatenus eſt ſecunda mentis operatio C. antecedens & Nego conſequentiam.

Objicies II. contra diviſionem ſiquidem ſimplex eſt idem quod categorica, hypothetica quod compoſita juxta communem loquendi modum, à quo non eſt recedendum. Reſpondeo ad hoc quoque patere ex littera præcedenti, præterquam quod mala conſvetudo ſit abroganda, non deſunt nobiſcum ſentientes.

O. *Quid*

O.

Quid ſit oppoſitio & converſio propoſitionum.

DIco oppoſitio eſt *repugnantia duarum propoſitionum eoſdem terminos habentium eodem ordine.* Converſio autem eſt *mutatio ſubjecti in prædicatum & prædicati in ſubjectum eodem ordine ſervatò*, ita poſt Ariſtotelem paſſim Philoſophi quoad utramq; partem ; at bene inquit quidam vulgari hic paſſu eundem eſſe. Concluſio iſta habet duas partes & quidem diſparatas, unde diviſim ſunt explanandæ. itaque

Probatur & explicatur primô quantùm ad primam partem de oppoſitione. Dicitur ergò quod oppoſitio ſit repugnantia duarum propoſitionum ex quo ſequitur quòd debeat verſari inter duas propoſitiones ſibi repugnantes. Dicitur ſecundô eoſdem terminos habentium, quia ſi termini ſunt diverſi, non erit directè oppoſitio v. g. homo eſt animal, lapis non eſt animal. Dicitur tertiò & principaliter *eoſdem terminos habentium eodem ordine.* Id eſt ut termini habeant eandem ſignificationem, eundem locum ideſt ſubjectionis vel prædicationis, eandem qualitatem, vel eandem quantitatem, vel utramq; ſimul, ſi unum

ex his

ex his deeſt non erit oppoſitio. Ex quibus patet quòd oppoſitio ſic bene deſcribatur cùm hæc definitio omni & ſoli convenit. Eſt autem oppoſitio quadruplex ſcilicèt *contradictoria, contraria, ſubcontraria, ſubalterna.*


Ima. eſt repugnantia duarum propoſitionum ſecundùm quantitatem & qualitatem ſimul v. g. omnis homo eſt animal & aliquis homo non eſt animal. Prima enim eſt univerſalis affirmativa, altera particularis negativä.

2da. eſt repugnantia duarum propoſitionum univerſalium ſecundùm qualitatem tantùm v. g. omnis homo eſt animal nullus homo eſt animal.

3ia. Eſt repugnantia duarum propoſitionum particularium in qualitate tantùm v. g. aliquis homo eſt animal aliquis homo non eſt animal.

4ta. Eſt repugnantia duarum propoſitionum ſecundùm quantitatem tantùm v. g. omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt animal; prout ſequens Schema exhibet.

omnsi



Regulæ generales inter contradictorias neceſſariò una debet eſſe vera, altera falſa, impoſſibile enim eſt idem ſimul eſſe & non eſſe Contrariæ non poſſunt ambæ eſſe falſæ v. g. omnis homo eſt lapis, nullus homo eſt lapis, nec unquam poſſunt ambæ eſſe veræ. Subcontrariarum in materia neceſſaria una eſt vera altera falſa: in materia contingenti poſſunt eſſe ſimul veræ, in materia remota una vera altera falſa. Propoſitiones ſub alternæ in materia neceſſaria poſſunt eſſe ſimul veræ & ſimul falſæ, in materia verò contingenti ſi univerſalis eſt vera etiam erit particularis, in materia remota affirmativæ ſunt ſemper falſæ, negativæ ſemper veræ.

Declaratur nunc concluſio quoad alterá parté de converſione quá dicimus eſſe *mutationem ſubjecti in prædicatum, & è contra ſervato eodem ordine* id eſt ſignificatione, quantitate, qualitate v. g. omnis homo eſt rationalis omne rationale eſt homo, fit autem converſio tripliciter.

Imó

Imò. quæ vocatur converſio ſimplex quando tantùm convertuntur termini manente prorſus eadem quantitate & qualitate v. g. nullus homo eſt lapis nullus lapis eſt homo.

2dò. Quæ vocatur converſio per accidens quando manet qualitas ſed mutatur quantitas v. g. omnis homo eſt animal aliquod animal eſt homo.

3tiò. Quæ vocatur converſio per contrapoſitionem quando transponuntur termini ijs præmittendo utrinque negationem v. g. omnis homo eſt animal omnè non animal eſt non homo, ſed hoc modo non ſolent uti Philoſophi aut rarius, pro quorū ſcientia ponuntur ſequentes verſus:

FEcI ſimpliciter; convertitur EvA
per âcci
Aſt O per contra, ſic fit converſio
tota

Id eſt: *Simpliciter* convertuntur univerſalis negativa & particularis affirmativa. *Per accidens convertuntur* univerſalis affirmativa & univerſalis negativa. Per contrapoſitionem univerſalis affirmativa, & particularis negativa, ut patet ex præcedentibus carminibus, nam littera A ſignificat univerſalem affirmativam E univerſalem negativam. I. particularem affirmativam

O par-

O particularem negativam prout quoque denotant infrà ſcripti verſus:

Aſſerit A. negat E. ſed univerſaliter ambæ

Aſſerit I. negat O. ſed particulariter ambo

Plura de his materijs tractare ſupervacaneum eſt. Reliqua apud ſummuliſtas veteres, qui, ut ait Lalemandet de hujus modi nænijs plus ſusè quam utiliter tractant.

P.

Quid ſit Æquipollentia propoſitionum.

DIco æquipollentia eſt duarum propoſitionum ex eodem ſubjecto & prædicato conſtantium æquivalentia proveniens ex negatione ſubjecto earũ vel præ - vel poſtpoſita. Id eſt propoſitiones fiunt æquivalentes in ſignificatione ob negationem ſuperadditam, unde ſi præponatur ſubjecto æquivalet contradictoriæ, ſi poſtponitur ſubjecto æquivalet ſuæ contrariæ, ſi præponatur & poſtponatur æquivalet ſubalternæ, pro quo triplex Regula datur á Philoſophis hoc verſu expreſſa. ***Præ, contradic, poſt contra: præ poſtque ſubalter.*** Exemplificatur v. g. omne animal eſt vivens, ſi ponatur ante ſubjectum id eſt præponatur negatio non omne animal eſt vivens ecce habes contradictoriam prioris.

Si

Si verò poſtponatur ſubjecto ante copulam v. g. omnis homo eſt juſtus ſic omnis homo non eſt juſtus, ſignificat idem quod nullus homo eſt juſtus, & hæc priori eſt contraria: mihi tamen ſemper viſum eſt quòd hæc propoſitio omnis homo non eſt juſtus potius deberet ſignificare, aliquis homo non eſt juſtus. Quando autem negatio & præponitur ſubjecto & poſtponitur v. g. non omne animal non eſt vivens locò hujus *omne animal eſt vivens*, reſultat ſubalterna aliquod animal eſt vivens. Porrò ut termini æquivalentes diſtinctiùs percipiantur, ſubſcribo communiores hoſce verſus:

Non omnis, quidam non. omnis non, *quaſi* nullus.
Non nullus, quidam. ſed nullus non, valet omnis.
Non aliquis nullus. non quidam non valet omnis
Non alter, neuter. neuter non, præſtat uterque

In primo verſu lege terminum *quaſi* propter dubium ſuprà poſitum. In P. Rotondi dialectica eſt error typographi, quia ſic habet, in tertio verſu, *non aliquis nullus non*, deberet enim poſt *nullus* eſſe punctum. Lalemandet verò in primo verſu ponit: *non omnis non* pro *nullus*. Sed hoc

 con-

contrariatur verſui huic. - - præpoſtq; ſub-alter.

Inter ſubcontrarias non ſunt admittendæ æquipollentes ut haberi poteſt exemplis quomodocunque factis. Semper enim in vanum idem per idem vel abſque æquivalentia proſilit: ſed ubi melius examinavi Fonſecam video quòd tamen fieri poſſit ex una ſubcontraria negativa altera affirmativa, non è contra.

Primum ſic oſtendo, hæc eſt ſubcontraria aliquis homo non eſt animal altera affirmativa, aliquis homo eſt animal. Si prioris ſubjecto præponam *non aliquis homo* & poſtponam *non aliquis homo non*, non eſt animal, ſignificat idem, quòd omnis homo non eſt animal juxtà illud, *non quidam non valet omnis*, & quamvis omnis homo non eſt animal ſignificet quaſi nullus, propter dubium ſupra notatum tranſire poſſet pro ea aliquis homo non eſt animal: & fortè hoc fundamento ductus vel in hac ſuppoſitione locutus eſt Fonſeca.

Quæres primò an omnes propoſitiones ſic poſſint mutari vel per converſionem vel per æquivalentiam. Reſpondeo hactenus ea dicta fuiſſe de propoſitionibus abſolutis quæ vocantur propoſitiones de ineſſe, circa propoſitiones modales multi nimis

mis fusè agunt: pro utilium ſcientia ac notitia.

Quæres ſecundò quid ſit propoſitio modalis. Reſpondeo quamvis hoc dictum fuerit & quanquam diverſimodè iſte terminus modalis accipi poſſit, pro præſenti dico: quòd propoſitio modalis ſit ea cui apponitur unum ex his vocabulis: neceſſe contingens poſſibile, & impoſſibile quibus proinde modificatur. Ubi

Adverte primò hos quatuor modos poſſe accipi nominaliter & adverbialiter v. g. contingens & contingenter, utroque modo fiunt oppoſitiones & æquivalentiæ, ſæpius tamen dum nominaliter accipiuntur.

Adverte ſecundò in modalibus conſiderari duo: Modum & dictum. Modus dicitur una ex quatuor particulis aſſignatis. Dictum id cui apponitur v. g. poſſibile eſt ut Antichriſtus ſit, poſſibile eſt modus Antichriſtus exiſtens eſt dictum.

Adverte tertiò ex quolibet modo poſſe fieri quatuor propoſitiones affirmativas de modo, negativa de dicto v. g. neceſſe eſt Petrum non ſtudere, vel è contra v. g. non neceſſe eſt Petrum ſtudere, vel erit affirmativa de utroque v. g. neceſſe eſt Petrum ſtudere vel erit negativa de utroque v. g. non eſt neceſſe Petrum non ſtudere,

Adverte quartò hæc quatuor vocabula,

amabimus Edentuli iliace purpurea propter litteras A. E. I. U. ubi A. ſignificat affirmativam de modo & dicto. E. negat dictum ſed affirmat modum I. affirmat dictum negátque modum. U negat utrumque ut patet communi verſu

Deſtruit *U.* totum, verum *A.* confirmat utrumque
E. dictum negat lq; modum, nihil *A.* ſed *U.* totum.
Deſtruit *E.* dictum, deſtruit *I*que modum.

Adverte quintò in quantitate & qualitate neceſſarium æquivalere ſigno univerſali affirmativo ſemper impoſſibile pro nunquam adeóque eſt ſignum univerſale negativum, contingens & poſſibile coincidunt ſúntque quid particulare.

Ex his collige juxta quatuor iſta vocabula *Amabimus Edentuli Iliace purpurea*, poſſe fieri oppoſitionem modalium, pariter & æquivalentiam prout diſtinctè tradit Petrus Hiſpanus ac alij poſt ipſum, ſed his ultrò non libet immorari cùm potior fructus ſit mentis præſertim in junioribus confuſio.

Quæres tertiò quid ſint propoſitiones exponibiles. Reſpondeo quæ expoſitione indigent propter particulam aliquam obſcuram in ijs additam v. g. tantùm homo eſt animal propter particulam *tantùm* indiget

get expoſitione. Sunt autem aliæ excluſivæ quæ fiunt per vocabulum *tantùm ſolùm* &c. aliæ exceptivæ quæ fiunt per vocabulum *præter*, aliæ reduplicativæ id eſt quibus adeſt particula *reduplicativè, in quantum, qua tale*, aliæ comparativæ v.g. fortior melior, aliæ de differt, de incipit, prout verſus hi denotant.

Excluſivæ tantùm Exceptivæ reduplicativæ in quantum.
tanta ſcies præter cameras, vigilabis & inquam
comparativæ de differt incipit & deſinit
Fortior immanes ignavos differ in oris.

Ubi obſerva ingenioſitatem, primò enim particulæ *tantùm* ut dixi ſignificant excluſivas, *præter* exceptivas, in quantum reduplicativas, *fortior* comparativas, differ alietatem, & incipit ac deſinit per alias particulas. Secundò notanda in Scies I & E. ideſt univerſalis negativa per E, & particularis affirmativa per I. & hæc exponuntur per tanta, & ſic reliquas alias vocales juxtà verſum aſſerit A negat E &c. littera præcedenti expones.

Q.

Quid & quotuplex ſit argumentatio?

DIco argumentatio eſt oratio in qua unum ex aliò infertur: cujus communi-

muniter quinque ſpecies aſſignantur, ſcilicet: Syllogiſmus, enthymema inductio, exemplum, & dilemma, ità communiter Philoſophi.

Declaratur concluſio primò quoad primam partem in qua dicitur quòd argumentatio ſit *oratio in qua unum ex alio infertur*, vel *deducitur* v. g. Petrus eſt homo ergò eſt rationalis! dicitur oratio in quo perfectè cum definitione, diviſione convenit, reliqua ponuntur locò differentiæ, & licèt ſint duæ vel plures orationes tamen dicitur oratio in ſingulari ut ſignificetur ordo partium id eſt propoſitionum unitas & connexio quæ requiritur. Si verò per ordinem ad propoſitionem ac terminum definiatur *mentis operatio* debet locò generis poni, imò & conſultiùs reſpectu definitionis ac diviſionis poneretur *modus ſciendi*: ſed quia utrinque definitur, genus remotum ſufficit.

Obſerva Imò quòd in communi argumentatione tria concurrant antecedens, conſequens, & conſequentia. *Antecedens* dicitur illa propoſitio ex qua aliquid infertur, vel illæ propoſitiones ſi ſint plures: *conſequens* dicitur illa propoſitio quæ infertur, *conſequentia* dicitur *illa connexio inter antecedens & conſequens* v. g. Petrus eſt homo ergò eſt rationalis *Petrus eſt homo* eſt antece-

tecedens, per particulam *ergò* deſignatur coñexio id eſt *conſequentia*, eſt *rationalis*; eſt conſequens: vel magis grammaticaliter loquendo illa omnia quæ ponuntur antè *Ergo* ſimul ſumpta ſunt antecedens, quæ poſt Ergo, ſunt conſequens, ipſa particula Ergo eſt ipſa conſequentia. Conſequentia & conſequens ſimul accepta vocantur concluſio.

Obſerva 2dò quòd conſequentia aliquando ſit bona, aliquando mala, primum contingit, quando conſequens legitimè infertur ex antecedenti tanquam ex cauſa ſaltèm aliquali v. g. Petrus eſt homo ergò eſt animal, altera quando nulla legitima connexio eſt inter antecedens & conſequens v. g. Petrus ſtudet ergo eſt feſtum S. Barbaræ.

Obſerva 3iò. quòd conſequens aliquando ſit verum aliquando falſum, quod fit ſi illa propoſitio quæ deducitur id eſt quæ ponitur poſt *Ergò*, eſt vera, vel falſa, adeóque nunquam debeo dicere conſequentia vera ſed bona vel mala, è contra etiam nunquam oportet dicere conſequens bonum vel malum ſed verum vel falſum, ità communiter.

Declaratur ſecundò concluſio quoad alteram partem in qua dicitur quòd ſint quinq; ſpecies argumentationis id eſt quod

argumentatio ſit quintuplex. Porrò ſingulas nominabimus & explicabimus. Prima & principalior argumentatio eſt *Syllogiſmus* de quo ſub littera R. in ſequentibus.

2da. eſt *Enthymema* quod eſt argumentatio in qua ex una propoſitione tantùm infertur concluſio v. g. Petrus eſt homo ergò non eſt brutum, ex quo poteſt fieri Syllogiſmus v. g. omne quod eſt homo non eſt brutum, ſed Petrus eſt homo ergò non eſt brutum. ubi vides ſemper deeſſe unam propoſitionem in Enthymemate -- Si quæras an Major vel minor Reſpondeo ſi in enthymemate prædicatum antecedentis eſt etiam prædicatum conſequentis, quòd deſit Minor, v. g. omne animal eſt vivens, ergò & Petrus eſt vivens, deeſt enim ſed Petrus eſt animal, ſi verò ſubjectum antecedentis ſit etiam ſubjectum conſequentis deeſt major.

Tertia ſpecies vel modus argumentandi vocatur *inductio* & eſt argumentatio in qua à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad univerſale fit progreſſio v. g. hic homo eſt animal, iſte homo, iſte quoque & ſic per ſingulos ergò omnis homo eſt animal ubi vides omnia ſingularia debere recenſeri vel explicitè vel implicitè v. g. Petrus eſt homo Paulus eſt homo & reliqua animalia ratio-

nalia

nalia ergo omne animal rationale eſt homo.

Quarta argumentatio eſt *Exemplum* definitur quòd ſit argumentatio in qua ab unò ſingulari vel aliquo ſimili aliud ſimile infertur v. g. Magdalena peccatrix pœnitens gratiam invenit. item David item Petrus ergò & ego accipere poſſum.

Adverte quòd id, quod infertur debeat habere quandam ſimilitudinem & proportionem non enim valet Magdalena accepit remiſſionem peccatorum pœnitentiam agendo ergo & ego accipiam, ſed debet addi ſi etiam pœnitentiam egero.

Quinta eſt *Dilemma* quæ vocatur argumentatio bicornis in duas partes oppoſitas diviſa, quarum utraque ſic premit adverſarium ut cogatur ſemper contra ſe aliquid admittere vel negare v. g. ſi contra peccatorem, ſic argueres: vel credis te redditurum rationem vitæ tuæ aliquando vel non ſi ſecundum es infidelis, ſi primum ergò malè agis non deſiſtendo à peccatis: talia vocantur argumenta cornuta. His alij addunt Soriten; quæ etiam vocatur gradatio vel Syllogiſmus acervalis, vel argumentatio à primo ad ultimum. quæ ſic fit ut prædicatum propoſitionis præcedentis ſemper ſit ſubjectum ſequentis, donec prædicatum ultimum conveniat cum ſubjecto

 primæ

primæ v: g. omne brutum eſt animal, omne animal ſentit, omne ſentiens eſt corpus, omne corpus eſt ſubſtantia, omnis ſubſtantia eſt ens; ergo omne brutum eſt ens. item aſcenſum ab inferioribus ad ſuperiora vel è contra â ſuperiori ad inferiora per deſcenſum. pro reliquis.

Objicies Imò. contra primam partem. illa definitio non eſt bona quæ convenit alteri, ſed hæc definitio convenit alteri ergò non eſt bona. Minor probatur hæc definitio convenit propoſitioni ergo convenit alteri. Probatur antecedens converſio eſt propoſitio ſed convenit converſioni, ergo convenit propoſitioni. Probatur minor quia in converſione unum ex alio infertur v. g. omne rationale eſt homo: ergo omnis homo eſt rationalis Reſpondetur primò quòd in converſione idem inferatur ex eodem non ex alio, quia ſunt ijdem termini. Sed dicet aliquis ſufficit quôd ex alia propoſitione inferatur. Reſpondetur ergò ſecundò converſionem reduci ad enthymema unde & alij hanc vocant conſequentiam mutuam: non quidem *ut* converſio ſed *qua*.

Objicies 2dò. contra ſecundam partem datur Sorytes, aſcenſus, deſcenſus, converſio, argumentatio mutua non mutua probativa & non probativa ergò ſunt plu-

res

res quàm quinque ſpecies Reſp. omnes illas ad unam ex iſtis quinque reduci præſertim ad enthymema: ubi

Adverte antecedens ſubinde eſſe unam tantùm propoſitionem ſubinde plures per modum unius, generaliter ergo loquendo antecedens dicitur illud quid quid eſt illativum id eſt *ex quo* aliud infertur: conſvetudo tamen obtinuit ut in ſolo enthymemate dicatur antecedens, in Syllogiſmo M.jor & minor ut ſtatim, & quanquam defactò in Philoſophia ac etiam alijs ſcientijs ſubindè utamur dilemate vel etiam exemplo, ordinariè tamen per enthymemata & Syllogiſmos principaliter proceditur. Unde ad litteram

R.

Quid & quotuplex ſit Syllogiſmus?

DIco Syllogiſmus eſt *oratio, in qua quibusdam poſitis aliud quid à poſitis neceſſe eſt contingere, eò quòd hæc ſint.* Ità Ariſt. 1. prior. cap. 1. & poſt ipſum alij Philoſophi communiter. id eſt Syllogiſmus eſt oratio vel aliquis diſcurſus conſtans certis propoſitionibus (ſcilicet majore & minore) ſic diſpoſitis, ut ſi ipſæ ſint veræ, neceſſariò aliqua tertia inferatur quæ etiam eſt vera v. g. omnis homo eſt animal ſed Petrus eſt homo ergo Petrus eſt animal & hoc quidē infal-

infallibile eſt, ut ſi illæ duæ propoſitiones antecedentes ſint veræ; etiam concluſio ex ijs vera ſequatur: Unde iſta conſequentia vel illatio vocatur formalis ac infallibilis quæ in ſolo duntaxat Syllogiſmo reperitur, & in ijs quæ ad Syllogiſmum perfectum reduci poſſunt.

Dicitur itaque primò *oratio* & hoc ponitur locò generis ut pote in quo convenit Syllogiſmus cum alijs modis ſciendi ac ſpeciebus argumentationis. Dicitur ſecundò *in qua quibusdam poſitis* hoc eſt diſpoſitis in certa forma vel figura & modò (de quibus ſub littera ſequenti) *aliud quid à poſitis neceſſe eſt contingere.* id eſt neceſſariò ſequatur concluſio. Dicitur tandem *eò quòd hæc ſint* tales propoſitiones cauſant veluti concluſionem & ad eam inferendam neceſſitant uti fortè docebitur in magna logica. An autem hæc definitio ſit bona & rigoroſa, tene cum negantibus, primò enim locò generis deberet poni argumentatio, ut ſit proximum, poterat eſſe clarior &c.

Nec dicas Scotus quæſt. 5. in 1. prior. eam approbat Reſpondeo. Scotum ibi docere quòd ab inductione differat, eò quòd aliqui eam reprobent quaſi inductioni conveniret: imò Ariſtoteles ipſe per terminum logos potiùs ſermocinationem id eſt argumentationem quàm orationem voluit.

Ob-

Obſervandum eſt quod in Syllogiſmo, v. g. *omnis homo eſt animal ſed Petrus eſt homo ergò Petrus eſt animal*, tantùm ſint tres termini, quorum quilibet bis repetitur, & quòd ex his tribus terminis bis repetitis fiant tres propoſitiones quarum prima vocatur *Major* altera *Minor* tertia *concluſio*. & ex iſtis tribus terminis unus vocatar *major extremitas*, alter *minor extremitas*, tertius vocatur *medius terminus*. Primus eſt qui ponitur in majori cum medio termino. Secundus qui ponitur in minori cum medio termino. Tertius ſive medius terminus eſt qui ponitur & in Majori & Minori hoc eſt in præmiſſis(ſic enim vocanturMajor & Minor ſimul ſumptæ) ubi vides quod major & minor extremitas repetantur in concluſione, medium autem nunquam, unde eſt,axioma: Medium concluſio neſcit.

Exemplum habes inSyllogiſmo ſuprapoſito ubi *homo* eſt medius terminus, *animal* eſt major extremitas, Petrus minor extremitas.

Objicies Doctor Subt. 1. poſter. quæſt. 5. dicit Syllogiſmum non poſſe definiri ergò id fruſtra tentatur. Reſpondeo diſt. antecedens rigoroſè tranſeat quia non eſt ens reale ſtrictè loquendo quantùm ad præſens definitione non ità ſtricto ſenſu accepta N. antecedens & conſequentiam. quantùm ad al-

ad alteram tituli partem ſcilicet quotuplex ſit Syllogiſmus.

Dividitur primò in perfectum & imperfectum. Primus eſt in quo ſunt tres propoſitiones Major Minor & concluſio, alter confunditur vel eſt idem quod enthymema. Syllogiſmus perfectus de quo hic loquimur & ſubdividitur in Analyticũ, Topicum, Sophiſticum de quibus in fine dialecticæ dicemus. horum quilibet admittit ferè ſubdiviſiones ſequentes.

Dividitur ergò ſecundò Syllogiſmus in Categoricum & hypotheticum, ſimplicem & complexum, in modalem & abſolutum, mixtum & expoſitorium &c. ex obliquis vel ſimilibus nihil ad rem, quibus aliqui folia implent.

Porrò Syllogiſmus Categoricus eſt qui conſtat ex utraque propoſitione categorica. Hypotheticus qui ex utraque hypothetica vel ſaltem una, idem eſt de Syllogiſmo ſimplici & complexo, unde tot modis poteſt fieri Syllogiſmus hypotheticus quot ſunt hypotheſes nempe per conditionem, & diſjunctionem, v. g. ſi Sol eſt dies eſt, Sed ergò &c.

Modalis eſt qui conſtat utraque vel ſaltem unâ propoſitione modali circa quem potiſſimum eſt obſervandum quod quidem à modo ad dictum valeat conſequentia

non

non è contra v. g. Petrus currit velociter ergò currit, non autē ſic non currit velociter ergò non currit, deinde quando utraq; præmiſſa eſt modalis etiam concluſio ſit talis, ſed hoc ità non eſt in uſu. Tandem ſi utrique præmiſſæ addatur neceſſe etiam repetatur in concluſione.

Mixtus eſt quem alij vocant ducentem ad impoſſibile qui conſtat una ſimplici & altera complexa, Expoſitorius cujus medius terminus eſt terminus ſingularis v. g. Petrus eſt Apoſtolus hic homo eſt Petrus ergò hic homo eſt Apoſtolus. Et quidem debet eſſe omnino ſingularis ità ut nec pluribus ſit communicabilis nè fiant pſeudographi Syllogiſmi in materia Sanctiſſimæ Trinitatis dicendo hic Deus eſt Pater, hic Deus eſt Filius, ergò Filius eſt Pater, nam Deus licèt non ſit terminus univerſalis, eſt tamen communicabilis. Unde Syllogiſmus expoſitorius definitur à Scoto in 1. diſt. 2. quæſt. 7. *ille cujus medium eſt terminus ſingularis ſingulariter & univocè tentus.*

Quæres quare dicitur in prima parte concluſionis per explicationem in certa forma & modo diſpoſitis Reſpondeo hoc & reliqua tam ad materiam quàm formam Syllogiſmi pertinentia ex ſequentibus forè clara.

S. Di

S.

De modis Figuris, & Principijs Syllogiſmi.

DIco ut aliquis Syllogiſmus ſit bonus & legitimus debet diſponi *certo modo debitâ formâ*, & à principijs quibusdam univerſalibus ac ſpecialibus regulari ità Philoſophi omnes, pro concluſionis intelligentia:

Obſerva primò Syllogiſmum habere aliquid ex quo ſit & habere formam ſecundùm quam ſit, id eſt Syllogiſmus componitur ex materia & forma.

Obſerva ſecundò materiam Syllogiſmi eſſe duplicem remotam & proximam. Prima ſunt termini ex quibus conſtat de quibus jam dictum fuit. Materia proxima ſunt ipſæ tres propoſitiones ex quibus imediatè Syllogiſmus componitur.

Obſerva tertiò ſimiliter formam Syllogiſticam eſſe duplicem, una enim eſt forma terminorum & hæc vocatur *figura*. Altera eſt forma propoſitionum & hæc vocatur *modus*. Ex utroque id eſt *ex modo & figura* coaleſcit forma Syllogiſtica circa hanc.

Quæres primò quid ſit materia & forma Syllogiſtica Reſpondeo primò materiam dici illas res ex quibus componitur Syllogiſmus, quam jam dictum eſt eſſe duplicem.

cem. Reſpondeo ſecundò per formam Syllogiſticam intelligi certam diſpoſitionem terminorum, & præpoſitionū, quam quoq; diximus eſſe duplicem vel ex duplici coaleſcentem nimirum modo & figura: de materia tam remota quàm proxima dictum fuit. Nunc

Quæres ſecundò quid ſit modus Syllogiſmi vel Syllogiſticus. Reſpondeo eſſe diſpoſitionem propoſitionum in ordine ad quantitatem vel qualitatem, hoc eſt debet conſiderari an aliqua propoſitio ſit univerſalis vel particularis, an ſit affirmativa vel negativa & hoc vocatur *modus* Syllogiſmi.

Quæres tertiò quid ſit figura in Syllogiſmo. Reſp. eſſe diſpoſitionem aptam terminorum ſecundùm ſubjectionem & prædicationem debitam, hoc eſt debet attendi in Syllogiſmo ad hoc ut bene fiat, quiſnam terminus debeat eſſe ſubjectum & quiſnam prædicatum in hac vel illa propoſitione.

Quæres quartò quot ſint figuræ. Reſp. tres eſſe figuras pro faciendo bono Syllogiſmo. *Prima*, *ſecunda*, *tertia*. *Prima figura* eſt quando medius terminus ponitur in majori loco ſubjecti & in minori loco prædicati v. g. omnis homo eſt animal ſed Petrus eſt homo ergò Petrus eſt animal ubi vides medium terminum eſſe Homo. *Secunda figura* eſt quando medius terminus & in majori & in minori ponitur locò præ-

 dica-

dicati v. g. nulla planta eſt animal omnis homo eſt animal ergò nullus homo eſt planta. *Tertia figura eſt* quando medius terminus & in majori & in minori ponitur loco ſubjecti v. g. omnis homo eſt animal, omnis homo eſt riſibilis ergo aliquod riſibile eſt animal, quod concinnè exprimitur ſubſcripto verſu:

Sub, præ prima; Secunda, bis præ; tertia bis ſub.

Aliqui volunt quartam figuram quam vocant Galeni quando medius terminus in minori eſt ſubjectum & in majori eſt prædicatum, ſed hæc non videtur concludere diverſo modo à prima figura.

Quær. quintò quot ſint modi in quibus fiat bonus Syllogiſmus? Reſpondeo tales eſſe novemdecim his verſibus expreſſi.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſo morum
Cæſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti.
Felapton, Diſamis, Datiſi Brocardo, Feriſon

Adverte hæc omnia nomina habere tantùm tres Syllabas (nam Baralip-ton ultima eſt ad complendum Carmen(idem eſt de Fri-

Friſeſomorum) & ſingula nomina etiam habere tres vocales ex iſtis: A. E I. O.

Aſſerit A , negat E ſed univerſaliter ambæ,

Aſſerit I. negat O. ſed particulariter ambo.

Ubi ſingulæ tres litteræ correſpondent tribus propoſitionibus in Syllogiſmo v. g. in BArbArA tria A , A, A. ſignificant debere eſſe tres univerſales affirmativas propoſitiones & ſic de reliquis.

Adverte adhuc quòd primi *novem modi* ſpectent ad *primam figuram*, ſequentes *quatuor* ad *ſecundam* , reliqui *ſex ad tertiam figuram.* Ex illis pertinentibus ad primam figuram quatuor primi dicuntur perfecti id eſt directè concludentes. Alij quinque indirectè concludentes. Cæteri modi ſecundæ & tertiæ figuræ concludunt directè.

Si quæras quid hoc ſit directè concludere vel indirectè Reſpondeo quando major extremitas prædicatur de minori in concluſione, tunc Syllogiſmus dicitur directè concludere. Quando autem minor extremitas prædicatur de maiori dicitur indirectè concludere.

Exempla ſingulorum modorum eſt utilius componere quàm hic legere.

Regula pro modis primæ figuræ: ma-

 jor

jor nunquam ſit particularis, minor nunquam negativa excepto *Friſeſo*

Prima Minorem negat unquam ſi clauditur aptè
Nec partem major affert nisì FrIsEſomorum

Regulæ pro quatuor modis ſecundæ figuræ. Prima quòd major nunquam ſit particularis. Secunda quòd præmiſſæ non ſint ambæ affirmativæ, aliàs non diſtribueretur medium, quia ſigna affirmativa licèt univerſalia tantùm diſtribuunt ſubjectum. Regula pro ſex modis tertiæ figuræ, ut minor nunquam ſit negativa & hæ regulæ ex Prioribus colliguntur.

Regulæ univerſales pro omni bono Syllogiſmo formando & dignoſcendo ſunt ſequentes potiſſimæ, reliquæ abundant. Ima. ut Syllogiſmus ſit in uno ex iſtis novendecim modis & in una ex his tribus figuris. 2da, ut non componatur ex meris particularibus. 3ia. ut ambæ præmiſſæ non ſint negativæ. 4ta, ut ſi una ex præmiſſis ſit particularis etiam concluſio ſit particularis, & ſi una eſt negativa etiam concluſio ſit negativa juxtà illud: *concluſio ſequitur partem debiliorem.* 5ta, ut medium nunquam in concluſione ponatur, juxta id: *medium concluſio neſcit.*

Par-

Partibus ex puris ſequitur nil, ſive negatis
Si quæ præit partis, ſequitur concluſio partis
Si quæ negata præit, concluſio ſitque negata
Lex generalis erit medium concluſio neſcit.

Has omnes regulas eruditè comprehendes his tribus: *in Syllogiſmo debent eſſe tantùm tres termini.* Ex quo ſequitur non debere variari aliquam ſuppoſitionem vel aliam proprietatem terminorum. *quod medium debeat diſtribui.* id eſt quòd terminus medius ſaltèm ſemel debeat univerſaliter accipi, ex quo diverſæ ex prædictis regulis ſequuntur. *& quod non debeat procedi à non diſtributo ad diſtributum.* id eſt ut nulla extremitas in concluſione ponatur univerſaliter quæ in præmiſſis non fuerit univerſalis. Sed nè quis confuſionem patiatur modos omnes cum figuris memoriæ mandet, ſic habet vivam lucernam: reliqua principia in ſequentibus loco apto proponentur.

T.

De reductionibus Syllogiſmorum imperfectorum.

DIco duplex datur modus reducendi

 Syl-

Syllogiſmos imperfectos ad perfectos. nimirum per oſtenſionem,& per impoſſibile, ità ſummuliſtæ paſſim. Pro ulteriori intelligentia.

Suppono quòd communiter Philoſophi docent ſcilicet inter omnes novemdecim modos primos quatuor in prima figura tantùm perfectos eſſe adeóque omnes alios ſive directè ſive indirectè concludant ad illos reducendos eſſe, hoc ſuppoſito duplex aſſignatur modus reducendi Syllogiſmos imperfectos ad perfectos, per *Oſtenſionem* & *per impoſſibile.*

Quæres primò quid ſit reductio oſtenſiva vel quomodo reducantur per oſtenſionem Syllogiſmi imperfecti ad perfectos. Reſpondeo hoc fieri dum aliqua præmiſſarum mutatur per tranſpoſitionem v. g. ſi minor fiat major vel quando aliqua ex præmiſſis convertitur ſive ſimpliciter ſive per accidens ſive aliter relege quæ ſunt ſub littera O.

Obſerva I. primos quatuor modos Barbara, Celarent, Darij, Ferio incipere ab his quatuor litteris B. C. D. F. & reliquos omnes modos, ut ergo ſciatur ad qualem poſſit reduci per oſtenſionem ſemper attende ad prædictas conſonantes & omnes modos qui incipiunt à *B.* reduces ad Barbara, v. g. Baraliptō & qui incipiunt à *C* ad Celarent & ſic de

ſic de reliquis excepto Brocardo & Baroco quæ non poſſunt reduci viâ *oſtenſivâ* ſed per impoſſibile.

Obſerva II. ad hoc ut bene intelligatur hic modus reducendi in modis imperfectis eſſe alias quatuor conſonantes in medio vel in fine *S. P. M. C.* & hæ litteræ ſignificant qualitatem propoſitionis reducendæ ita ut ubi invenitur *S.* fiat *converſio ſimpliciter* ubi *P.* per accidens, ubi *M.* fiat tantùm transpoſitio, ubi C. ut reducatur per impoſſibile juxtà hos verſus:

S. vult ſimpliciter verti, *P.* verò per acci
M. vult transponi, *C.* per impoſſibile
duci.

Exemplum ſit in Celantes: *Nullum brutum eſt rationale, omnis equus eſt Brutum ergò nullum rationale eſt equus* quia incipit à *C.* debet reduci ad Celarent & in fine littera *S.* ſignificat concluſionem eſſe vertendam ſimpliciter id eſt immutandam eſſe manente eâdem quantitate & qualitate reliqua manent quia non eſt littera *M.* ut deberet aliquid transponi & hinc fiet talis: *Nullum brutum eſt rationale, omnis equus eſt brutum ergo nullus equus eſt rationalis*, & ſic per modos quoſcunque exemplifica, excepto ut monui BroCardo & BaroCo. *C.* enim vult per impoſſibile duci. unde

Quæres ſecundò quomodo Syllogiſmi

 redu-

reducantur per impoſſibile. Reſpondeo hoc modo fieri quando accipitur contradictorium concluſionis negatæ ſimul cum altera præmiſſa quæ fuit conceſſa, ipſa manente omninò immutatâ, & infertur contradictorium alterius præmiſſæ: ut autem ſcias ad qualem modum perfectum debeat reduci imperfectus (hic enim non eſt attendenda initialis littera) lege verſum ſequentem:

PhoEbIſEr AxIs ObIt tErrAs a EtrAmquE quOt AnnIs.

Ubi vides eſſe quindecim vocales notatas, & tot ſunt etiam modi imperfecti, deinde primi quinque imperfecti modi correſpondent his litteris, PhoEbIſEr AxIs & ſunt reducendi ad illum perfectum qui deſinit in tali littera v. g. Baralip debet referri quia correſpondet phoE: ad Celarent, Celantes qui correſpondet bI reducatur ad Daril & ſic de reliquis ut autem talis reductio bene fiat ſunt tres regulæ:

Regula I. pro quinq; modis imperfectis primæ figuræ ſumenda eſt contradictoria concluſionis pro majori, pro minori autem major conceſſa & deinde pro concluſione illud ex quo infertur contradictorium: ſit Exemplum

BA

BA omne animal eſt vivens
RA omnis homo eſt animal
LIp: ergo quoddam vivens eſt homo
Debet reduci propter PhoE adCelarent.
CE Nullum videns eſt homo
LA omne animal eſt vivens
REnt Nullum animal eſt homo

Regula ſecunda pro quatuor modis imperfectis ſecũdæ figuræCæſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Major manet contradictorium concluſionis pro minori, & contradictorium minoris pro concluſione. ſit exemplum.

CA omnis homo eſt animal
ME nulla planta eſt animal ergo
Stres: nulla planta eſt homo

Debet reduci ad Darii propter Oblt. cui correſpondet.

DA omnis homo eſt animal
RI aliqua planta eſt homo ergo
J aliqua planta eſt animal.

Regula tértia pro ſex modis imperfectis tertiæ figuræ, Darapti, Felapton, Diſamis, Datis, Brocardo, Feriſon. Minorem ſervat & locò majoris ponitur contradictoria concluſionis, ſumatúrque pro concluſione, contradictorium majoris conceſſæ vel contrarium in Darapti & Felapton. ſit exemplum

DA omne animal eſt vivens
TI aliquod animal eſt ſubſtantia ergo
SI aliqua ſubſtantia eſt vivens.

Debet reduci ad Ferio quia correſpondet quOt

FE nulla ſubſtantia eſt vivens
RI aliquod animal eſt ſubſtantia ergo
O aliquod animal non eſt vivens

Et hoc totum (excepto quod Celantes cujus Minor ponenda eſt pro majori & contradictorium concluſionis pro minori) eſt univerſale exprimiturque his verſibus:

Quæ fuerat major primæ, minor eſſe requirit,
(Excipe Celantes in quo minor ante locanda eſt:)
Servat majorem variàtque ſecunda minorem:
Tertia majorem variat, ſervatque minorem

Fructus autem harum reductionum eſt caſu quo quis negaret conſequentiam in illis Syllogiſmis qui dicuntur imperfecti ut ſic confundatur & aliquid contra ſe admittere teneatur vel quod conceſſit neget vel quod negavit concedat, ſed quia parum in uſu eſt & tyrones facilè terrere poſſet, hæc ſufficiant.

Adverte quoſdam locò dictionum PhoEbifer Axis &c. poneres iſtas particu-

las

las eandem vim & ſignificationem haben-tes:

NEſcIEbAtIs OdIEbAm IEtArE ROmAnIs.

V.

De Arte inveniendi mediam vel Ponte Logicorum.

DIco ars inveniendi medium terminum eſt facilitas quædam vel promptitudo inquirendi vel applicandi cauſam in ordine ad probandam propoſitionem in diſputatione negatam. ità Philoſophus 1. Prior. c. 29. videtur velle & eſt comunis opinio ſic declaranda: inter argumentandũ ut praxi conſtat conſvevit ſemper una propoſitio negari ſive directè ſive ſub diſtinctione, quam proinde propoſitioné negatá tenetur arguens pro concluſione inferre v.g. *ſi quis defendat non dari plures terminos in propoſitione quā duos* & alter hanc theſin oppugnet ſic: tot ſunt termini quot ſunt nomina, ſed ſunt ſubinde plura nomina quam duo ergo & plures termini, defendens diſtinguet vel negabit Minorem. ſic arguens tenetur excogitare medium terminum per quem inferat, ergò ſunt ſubinde plura nomina quàm duo v. g. hæc eſt bona propoſitio Petrus doctus non eſt ignarus ſed hic ſunt plura nomina ergo. ubi vides quòd

quòd pro medio termino aſſumat Exemplum iſtud per quod oſtendit veritatem propoſitionis negatæ: hoc autem neo-logicis difficilè accidit & poteſt exinde colligi quiſnam ſit ſagácis vel ſagacioris ingenij vel quis non habeat capacitatem aliquam, unde ſolet ab alijs vocari,

Pons Aſinorum

Solitus certo Emblemate demonſtrari

Hoc eſt quia multi advertunt imbecillitatem ſuam ſcilicet: quod jam dialectica quæ eſt parva logica vel compendium logicæ ſit ferè finita & ipſi parum quod pro nihilo reputatur ſciant, hinc multi de ponte cadunt & ſtudijs valedicunt eligendo unum ex tribus M. M. M. id eſt vel ſtatum monaſticum vel mulierem ducunt vel militiæ nomen inſerunt, præſertim tales qui melius ſciunt quot ſint folia chartarum quàm quotuplex ſit terminus, item qui libentius frequentant Bacchi quàm Minervæ Palæſtras, item qui aleis, fiſtulis, nummiſmatibus, tubis ac alijs ſolennibus inſtrumentis operam navant, quemadmodum in prædicto ſchemate ſolet exprimi. Unde ſi quæras

Quid Logicus de ponte cadens? aſinúsne vocandus?
Si ſic, ſunt plures aſini quàm ſidere ſtellæ.

Ut

Ut autem illa ars vel facilitas inveniendi medium terminum addiſcatur ſolent præſcribi certæ regulæ quas quidem non vitupero, ſed optima hæc ut quis quotidiano exercitio mentem excolat & ſolerter ſtudeat, ſunt autem ſequentes:

Regula prima eſt ad probandam vel inſerendam univerſalem affirmativam ut aſſumatur terminus ſuperior aliquis ſeu conſequens ad ſubjectum concluſionis & inferior ſeu antecedens ad prædicatum ejuſdem concluſionis v. g. ſi quis velit probare quòd omnis homo ſit vivens aſſumat terminum ſuperiorem v. g. animal &c.

BAr omne animal eſt vivens
bA omnis homo eſt animal ergo
rA omnis homo eſt vivens

Regula ſecunda valet ad concludendam univerſalem negativam & contingit quando ſumitur pro medio terminus ſuperior ſubjecto concluſionis inferendæ v. g. ergo nullus homo eſt lapis ſic inferatur cum repugnanti prædicato

CE nullus lapis eſt animal
sA omnis homo eſt animal ergo
rE nullus homo eſt lapis.

Regula tertia ſervit pro concludenda particulari affirmativa quando, accipitur pro medio termino conſequens vel ſuperius ſubjecto & antecedens vel inferius prædicato

cato v. g. ergo aliquod animal eſt ſubſtantia.

DA omne exiſtens per ſe eſt ſubſtantia
RI aliquod animal eſt exiſtens per ſe
ergo
J. aliquod animal eſt ſubſtantia.

Regula quarta quæ valet ad concludendam propoſitionem particularem negativam quando ſumitur pro medio termino antecedens vel inferior ſubjecto & repugnans prædicato concluſionis v. g. ut inferas ergo aliquod animal non eſt lapis, medium aptum erit homo:

FE nullus homo eſt lapis
RI aliquod animal eſt homo ergo
O aliquod animal non eſt lapis

Obſervandum eſt pro horum omnium intelligentia quòd in Syllogiſmo tres termini ſint, & quantùm ad præſens ſub certa diſtinctâ ſignificatione conſiderari poſſunt inter quos vocatur unus *antecedens*, & eſt ille qui alium infert & talis eſt quodlibet inferius reſpectu ſuperiorum: Alter dicitur *conſequens* & eſt ille qui ex alio infertur, quemadmodum omne ſuperius reſpectu inferiorum: tertius vocatur terminus extraneus qui alteri non poteſt convenire, unde & repugnans dicitur.

Exemplum primi eſt Franciſcus eſt ho-

mo

mo ergo animal, ſecundi idem, tertij lapis reſpectu hominis.

Quæres an ars Lulliana poſſit ſervire pro inveniendo medio. Reſp. affirmativè præſertim ſi quis eâ utatur juxtà commentatorem Patrem Kircherum virum eximium, cujus mentem intelliges legendo Patris Knittel opuſculum.

X.

Quid ſit Syllogiſmus demonſtrativus?

DIco Syllogiſmus demonſtrativus aptè definitur, quòd ſit *Syllogiſmus infallibiliter concludens in materia neceſſaria.* colligitur ex comuni doctrina poſt philoſophum 1. poſter. & poſſet eſſe contra multos qui hallucinantur, quaſi ſolus Syllogiſmus demonſtrativus infallibiliter concluderet, ducti loquelâ Ariſtotelis dicentis, quod ſit Syllogiſmus faciens ſcire, at hi toto cœlo errant nam & Syllogiſmus topicus de quo infra, formaliter infallibiliter concludit licet non objectivè id eſt ratione materiæ, aliam definitionem Ariſtotelis, quippe quid ſit *Syllogiſmus conſtans præmiſſis veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus & cauſis concluſionis* examinabimus in logica utente, juxta quam dicemus dari unicam duntaxat demonſtrationem, at juxta definitionem hic poſitam, quæ genere ac diffe-

differentia conſtat ut patet ratione materiæ.

Notandum eſt quod communiter demonſtratio duplex admitti ſoleat, quas hic interim toleramus. Prima eſt demonſtratio *propter quid vel à priori* & fit dum per cauſam metaphyſicam infertur effectus v. g. omne rationale eſt riſibile Petrus eſt rationalis ergo Petrus eſt riſibilis, ubi per cauſam metaphyſicam uſque modo intellige rationem naturæ rei ex qua alia quædam ratio velut proprietas emanat vel pullulat id eſt ſequitur. altera vocatur *demonſtratio à poſteriori vel quia vel ab effectu ad cauſam*, de quibus in utente, ubi & de demonſtratione ab æquali, ab effectu ad effectum juxta Themiſtium ac Lullium dicetur, interim de ijs quæ huc pertinent ſivè nudè ſivè principaliter.

Quæres primò quot ſint modi dicendi per ſe, id eſt quot modis prædicatum dicatur convenire ſubjecto propriè ac veluti ex natura. Reſpondeo hujuſmodi modos eſſe quatuor: *Primus* quando definitio dicitur de ſubjecto v. g. homo eſt animal rationale: *ſecundus* quando paſſio vel proprietas quædam inſeparabilis prædicatur de ſubjecto v. g. homo eſt riſibilis: *tertius* quando exiſtentia prædicatur de aliquo *per ſe exiſtente* id eſt *non inhærente alteri* ut ſi dicas

dicas ſubſtantia eſt. *quartus* quando effectus phyſicus prædicatur de ſua cauſa v.g. ignis eſt calidus: ità communiter. His adde *quintum*, dum una proprietas de altera dicitur v.g. omne riſibile eſt admirativum & ſimilia ab æquali.

Quæres ſecundò quot ſint modi dicendi per accidens? Reſpondeo eſſe ſimiliter quatuor: *primus* quando prædicatum non eſt de eſſentia ſubjecti etiamſi ſit proprietas v.g. homo eſt riſibilis: *alter* quando prædicatum contingenter convenit ſubjecto v.g. homo eſt muſicus: *tertius* quando exiſtentia dicitur de accidente v.g. albedo parietis eſt: quartus quando effectus prædicatur de ſua cauſa impropriè ignis eſt ſpumans.

Quæres tertiò, quomodo intelligatur illud principium vel axioma principale, in quo non tantum conſiſtit ſtructura demonſtrationis, ſed etiam Syllogiſmi boni ut ſic, ſcilicet illud: *quæcunque ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe.* Reſpondeo hoc ſignificare quando duo extrema affirmantur in præmiſſis de tertio etiam de ſe invicem in concluſione affirmari debent, & quando unum ex ijs negatur de medio termino, etiam de ſe negari debent in concluſione, & quidem tali identitate inter ſe quali cum tertio: Cæterum principij hujus ve-

ritas ac infallibilitas colligitur ex artificiali ſtructura Syllogiſtica in hoc potiſſimum fundata, præterquam quod ipſum lumini naturæ pateat.

Quæres quartò, quid ſignificet *dici de omni, dici de nullo*? Reſpondeo primum ſignificare, quando aliquid prædicatur de ſubjecto abſolutè ſupponente, hoc etiam prædicari de quolibet contento ſub tali ſubiecto v. g. quia verum eſt in ſuppoſitione abſoluta, homo eſt animal, etiam ſequitur quod omne ſingulare humanum ſit ãnimal ſic *dici de nullo* ſignificat quod prædicatum de tali ſubjecto negatum, nulli inferiori attribui poſſit, primum valet pro formandis Syllogiſmis affirmativis, alterum pro negativis exceptis expoſitorijs.

Quæres quintò, quomodo intelligatur illud *propter quod unumquodque eſt tale, illud eſt magis tale*? Reſpondeo cauſam potius habere denominationem quam effectú propter conditiones ſequentes, ſi cauſa per ſe hujus denominationis eſt capax, hinc non valet homo eſt ebrius propter vinum ergo magis ebrium eſt vinum: ſi effectus ſuſcipit magis & minus (non cauſa ut quidam male ominatus eſt) ſi eſt cauſa totalis, immediata, ac præciſa, v. g. homo eſt juſtus propter Deum ergo Deus eſt magis juſtus: hoc & ſimilia v. g. quod eſt alteri ratio

eſſen-

eſſendi tale, nequit in recto dici tale, nemo dat quod non habet per decurſum diverſarum facultatum facilè innoteſcunt.

Y.

Quid ſit Syllogiſmus topicus?

DIco Syllogiſmus topicus eſt ille qui infallibiliter concludit in materia probabili. ita ex profeſſo contra torrentem, ſiquidem philoſophi ſolent dicere, quòd ſit ille *qui generat opinionem*, & hoc unus ex altero ita confusè ſcribit ac componit, ut non tantùm ſibi ipſis contradicant, ſed omnino veritatem obſcurent ac denudent. porròSyllogiſmus topicus & demonſtrativus ſolâ materiâ diſtinguuntur, adeóque uterq; vi formæ infallibiliter concludit; ut patet duobus exemplis in Darii, omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal, qui eſt in materia neceſſaria, omnis Mater diligit Filium, berta eſt mater, ergo berta diligit Filium, ſi loquamur de forma, quod eſt formale intentum, imô unicum dialecticæ, unus eodem modo infert ac alter, & unus æq; formalem parit ſcientiam ac alter, quod ſi materiam ſpectes utique ſolus demonſtrativus, ſed quoniam dialectica potiſſimum formam attendit, immeritò hic doceri ſolet topicus tanquam opinionem generans:

 noſtra

noſtra itaque definitio præſtat, tum quia habet genus & differentiam, tum quia clarius naturam Syllogiſmi topici exprimit, ac etiam eſt data per id quod magis eſt ad rem. ac tandem quod caput eſt, quia poſt Ariſtotelem conſveverunt Syllogiſmum dividere in demonſtrativum, topicum ac ſophiſticum, ex quo patet topicum quoque definiendum cum differentia ad ſophiſticum, ſed ab hoc non diſtingvitur per materiam, ut peſſimè tradi ſolet ac ſtatim infringetur ergo &c.

Quæres primò quid ſit locus topicus Reſpondeo quòd ſit ſedes argumenti, in qua reponuntur quædam maximæ, quibus paſſim propoſitiones probabiles ſvadentur, qui duplex eſt. *Maxima* & *locus differentiæ maximæ*: *maxima* quæ & axioma dicitur, eſt propoſitio ſic nota ut ſit impoſſibile eam rejicere, licet aliundè non probetur v. g. de quo dicitur definitio dicitur definitum. *Locus differentiæ maximæ eſt* ille ex quo plura axiomata derivantur v. g. à definitione à diviſione &c. & hic in tres claſſes partitur: intrinſecum vel internum, extrinſecum, ac medium; primus eſt de ijs, quæ ad eſſentiam rei pertinent, alter eſt de his, quæ ſunt extra eſſentiam, tertius de utriſque hinc ſi terminus inferens eſt intrinſecus illato, dicitur *locus intrinſecus*, ſi extrinſecus illa-

illato quoque talis dicitur locus, ſi verò neque abſolutè intrinſecus neque extrinſecus medius dicitur, exempla loci intrinſeci ſoſolent dari à definitione ſive definitiva ſivè deſcriptiva atque ab omnibus ijs, quæ aliquo modo rem conſtituunt, ſivè primariò, ſivè ſecundario, ſive formaliter ſivè efficienter, Exempla loci extrinſeci dantur ab oppoſitis, à repugnantibus, comparativis, ſimilibus &c. Exemplũ medii à diviſione, à conjugatis & caſibus, quæ obvia ſunt apud ſummuliſtas, at quia plus materiæ quàm formæ adaptandæ proſunt, conſultò quàm plures his ſuperſedendum ſore duxerunt.

Quæro ſecundò an diviſio Syllogiſmi in demonſtrativum, topicum ac ſophiſticum ſit bona ac proinde admittenda? Reſpondeo Negativè, cum neque ſit bimembris neque communi calculo debitè exprimatur: eſt autẽ intentio philoſophi dividendi Syllogiſmũ ex parte formæ & ex parte materiæ adeoque hoc unica diviſione expreſſit, cæterum Syllogiſmus ex parte formæ eſt duplex realis & ſophiſticus, primus eſt ille qui fit juxta regulas præſcriptas in ordine ad efformandum bonum Syllogiſmum, alter qui in una vel pluribus ex his regulis peccat, Syllogiſmus deinde realis (id eſt bonus) ex parte materiæ duplex eſt, demonſtrativus ac topicus (hic enim non immoror præ-

miſſis revelatis) ex quo patet, quàm ſiniſtrè multi hanc diviſionem ſint interpretati: *realis* alio nomine appellari poteſt ex parte formæ bonus, *ſophiſticus* ex parte formæ peccans, & quidem hic poſterior poteſt eſſe tam in materia neceſſaria, quàm contingenti, quod autem dicitur eſſe in materia apparenter vera, hoc oritur ex Forma, quæ ſimile quid videtur concludere, cum tamen ex parte ejuſdem Formæ peccetur; & hoc ipſum probabiliſſimè voluerunt primi philoſophi inſinuare, quanquam defactò ſemel introductâ malâ coſvetudine nemo velit videri alienus.

Z.

Quid ſit Syllogiſmus Sophiſticus?

DIco eſt Syllogiſmus propter defectum formæ nihil infallibiliter concludens. deberet eſſe communis & conſtat ex proximè dictis, talis autem defectus eſt, vel quando ſunt plures aut pauciores quàm tres termini, vel ſi medius terminus non diſtribuatur, vel ſi procedatur à non diſtributo ad diſtributum vide ſub littera S. at quia hoc multipliciter oriri ſolet præter ea, quæ hactenus ſparſim inſinuata ſunt, notantur tredecim fallaciæ vel ſophiſmata, propter quæ etſi alias appareat, quaſi aliquid concluderetur, nihil concluditur.

Pri-

Prima ſallacia æquivocationis quando terminus ſimul accipitur ſecundùm nomen & ſimul ſecundùm rem, unde non valet iſte omnis canis latrat ſed aliqua ſtella eſt canis ergo aliqua ſtella latrat, & ſic de reliquis ſimilibus.

Secunda ſallacia amphibologiæ quando una oratio plura ſignificat v. g. quid quid eſt Ariſtotelis poſſidetur ab ipſo, ſummulæ iſtæ fundamentaliter ſunt Ariſtotelis ergo poſſidentur ab ipſo.

Tertium Sophiſma compoſitionis eſt quando ex præmiſſis veris in ſenſu diviſo infertur concluſio in ſenſu compoſito v. g. ſedens poteſt ambulare. Sed Joannes eſt ſedens, ergo poteſt ambulare,

Quartò loco ponitur ſallacia diviſionis quando alicui tribuitur ſeorſim quod convenit conjunctim v. g. Planetæ ſunt ſeptem, ſed Mars & Jupiter ſunt planetæ, ergo ſunt ſeptem.

Quinta ſallacia accentus oritur ex variatione vocis v. g. populus eſt arbor, logici ſunt populus ergo ſunt arbor.

Sexta ſallacia figuræ dictionis fit per tranſitum ab uno prædicamento ad aliud v. g. quid quid emiſti heri hodie comediſti, heri emiſti carnem crudam ergo illam hodie comediſti, quidquid enim eſt ſubſtantia, caro cruda qualitas & hactenus recenſitæ vocantur ſallaciæ in dictione, aliæ extradictio-

ctionem, & iſtarum adhuc numerantur ſeptem.

Septima fallacia accidentis quando uni adſcribimus totum eſſe prædicati licèt non conveniat v.g. Petrus eſt albus, ſed album eſt accidens, ergo & Petrus.

Octava fallacia ſecundùm quid ad ſimpliciter v. g. æthiops eſt albus ſecundùm dentes, non valet ergo eſt albus nam antecedenter dixi quód denominatio deſumatur à potiori.

Nona fallacia petitionis principij quando ignotum æque per ignotum dicitur v. g. aliquis nequit eſſe ſimul logicus & phyſicus quia logica & phyſica ſimul repugnant, vel peccatum & gratia.

Decima eſt conſequentis vel antecedentis, fit, cùm à poſitione conſequentis vel ſuperioris affirmatur antecedens vel ſuperius v.g. qui dicit te eſſe bovem dicit te eſſe animal, ſed Petrus rectè te vocat animal ergo & bovem.

Undecima non cauſæ ut cauſæ quando accipitur pro cauſa quando non eſt cauſa v.g. homo eſt animal quia habet animam ſed planta habet animam ergo eſt etiam animal.

Duodecima eſt plurium interrogationum quando ad plures quæſtiones unica reſpon-

reſponſio petitur v. g. es nè homo vel bos, ſi dicas ità, ergo es bos. Si dicas non ergo non es homo.

Decima tertia Elenchi ignorantiæ quando argumentans cogit defendentem ad concedendum quæ videntur contradictoria licèt non ſint talia v. g. numerus ternarius eſt major binario & minor quaternario ergo eſt major & minor: ex quibus ſi unum occurrerit audacter neganda eſt conſequentia inter argumentandum, ſunt enim Syllogiſmi pſeudographi ac deceptorii.

Hæc mihi viſa ſunt ea, quæ ad infallibilem rerum à falſo diſcernendi modum ſpectant, imò crediderim his bene penetratis poſſe hominem cuicunque facultati ſcientificæ ſe tutò concredere, homini tamen ethico prævië philoſophia moralis; quemadmodum ſapientiæ amatori rationalis utens ac naturalis ſvadenda eſt: præſertim hac ætate quâ non obiter eruditis conſveverunt ſapientes intereſſe ſermonibus, & univerſalioribus inquirendis principiis immorari fas eſt.

Quæres Finaliter an modus ille diſputandi inter ſcholaſticos ſit neceſſarius aut ſaltem utilis? Reſp. non deeſſe pſeudopoliticos plurimos, qui eundem aut inficiari ſolent aut nudam cæremoniam putant, ſed hi quod foris ſonat, levi brachio apprehendunt, verbum quod intus latet nequaquam

comprehendunt: ſiquidem poteſtate Eccleſiæ jubente à Deo ordinatam hanc aciem ingredi debent urbes & orbes: dixi ordinatam, nam fateor plerúmque rem eſſe clamore nôn lanâ veſtitam, maximè ubi inter pocula ſolent ſudare ingenia, at diſtinctâ Formâ utentes ſunt ij, qui ſe præparant ut ubi opus fuerit criminatores poſſint redargui, & ſanè quanquam non interveniant accidentales illæ ceremoniæ cum particula explicita *ERGO*, hoc diſcurrendi genere gloriantur divini philoſophi, utuntur polemici, civiles, canoniſtæ, œconomi, demum quotquot reperire eſt fundamentaliter inſtructi, utpote à motivis rationalibus rerum ſeriem deducentes ac principale intentum concludentes, cæteri neſciunt quid faciant minus quid dicant. Sed de his plura in utente Logica, quam paratam cum alijs philoſophiæ aliquot partibus examinandam tradidi, ac favente Deo & volentibus ſuperioribus ſucceſſivè anno præſenti ac ſequentibus typo mandatam amico Lectori conſignabo.

FINIS.

In-

Index contentorum
Sub Littera

A. *Quid ſit terminus dialecticus*
B. *Quotuplex ſit terminus dialecticus*
C. *Quot & quid ſint proprietates terminorum*
D. *Quot modis termini opponantur & comparentur*
E *An & quænam ſint terminorum diſ-ſtinctiones*
F. *Quid ſit nomen*
G. *Quid ſit verbum*
H. *Quid ſit oratio*
I *Quot ſint mentis operationes ac modi ſciendi*
K. *Quid & quotuplex ſit definitio*
L. *Quid & quotuplex ſit diviſio*
M. *Quid & quotuplex ſit propoſitio*
N. *Quid ſit ſubſtantia, qualitas, & quantitas propoſitionis*
O. *Quid ſit oppoſitio & converſio propoſitionum*
P. *Quid ſit æquipollentia propoſitionum*
Q. *Quid & quotuplex ſit argumentatio*
R. *Quid & quotuplex ſit Syllogiſmus*

S. De

S. *De modis, Figuris & principiis Syllogiſmi*

T. *De reductionibus Syllogiſmorum imperfectorum*

V. *De arte inveniendi medium id eſt ponte &c.*

X. *Quid ſit Syllogiſmus demonſtrativus*

Y. *Quid ſit Syllogiſmus topicus*

Z. *Quid ſit Syllogiſmus Sophiſticus*

Digitized by Google

Errata ſic corrige

Pag. 4. lineâ primâ Q. 1 mò omittatur. pag. 18. lin. 2dâ in compoſſibilis lege incompoſſibiles. pag. 19. lin. 18. plurimos lege plurimas. pag. 35. lin. 9nâ eadem lege eâdem. pag. 36. lin. 18. or: lege oratio. pag. 77. lin. 3iâ præpoſitionum lege propoſitionum.

Digitized by Google

Digitized by Google